PAULI HERMANNI ... PARADISUS BATAVUS, INNUMERIS EXOTICIS CURIOSIS HERBIS, & RARIORIBUS...

Paul Hermann



PAVLI HERMANNI

PARADISVS BATAVUS

SEU

DESCRIPTIO

RARIORVM PLANTARVM



LVGDVNI BATAVORVM
Apud PETRVM VANDER AA. MDCCV.

PAULI HERMANNI, M. D.

In Academia Lugduno-Batava nuper Medicinæ ac Botanices Antecessoris,

PARADISUS BATAVUS,

Innumeris Exoticis curiosis Herbis, & rarioribus Plantis, magno sumptu & curâ ex variis Terrarum Orbis Regionibus, tam Oriente, quam Occidente, collectis, acquisitis, illustratus.

Ingeniosissima, & dexterrima artificum manu elaboratis iconibus, ad vivum æri incisis.

Eruditissimâ suâ, & magnorum in re Herbaria versatissimorum Virorum, Methodicâ Descriptione,

&

CATALOGO PLANTARUM,

Nondum præ immatura morte Auctoris delineatarum, locupletatus.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud PETRUM VAN DER AA,

MDCCV.

ILLVSTRISSIMO. REVERENDISSIMO. EMINENTISSIMO

PRAESVLI

ARTIVM. LITTERARVM PERITIA CVMVLATISSIMO DOMINO.

D° HENRICO COMPTON

LONDINENSI EPISCOPO

INGENTI. INGENII EXEMPLARI. NOBILITATIS. APICI

ECCLESIAE LVMINI ET LAMPADI. CORVSCANTI

SERENISSIMAE. POTENTISSIMAE.

ANNAE.

MAGNAE. BRITANNIAE. ETC. ETC

REGINAE CLEMENTISSIMAE.

TVTELARI DEAE

IMPERATRICI AVGVSTISSIMAE.

PROPVGNATRICI VERAE FIDEI VNICAE.

VIRTVTVM. OMNIVM. COMPLEMENTO.

AB. INTIMIS. CONSILIIS

OCELLO VNICO.

BOTANICARVM. MVSARVM. FAVTORI. PRIMICERIO.

SVSPICIENDO, VENERANDO.

HOCCE OPVS. ELABORATVM. AB.

INCOMPARABILI. AVCTORE. SVMMA. INDVSTRIA

ET MIRIFICA. VIGILANTIA. POST. OBITVM.

IN. AETERNITATIS MONVMENTVM EREXERVNT.

QVOD. CELSISSIMAE. DIGNITATI. VESTRAE.

IN DEBITAE OBSERVANTIAE. ET. DEVOTISSIMI. CVLTVS.


MNEMÓSYNON.

SACRAT.

PETRVS VANDERAA.



LECTORI BOTANOPHILO S.



Cùm post prematuram desideratissimi HERMANNI *mortem* , Manuscripta, *quæ ipse reliquerat plurima, non sine oculorum damno perlegissem, eaque maxima ex parte manca mutila, nulloque ordine disposita invenissem, non solum pristinus dolor, quem indies leniri & sopitum iri sperabam, recruduit, verùm etiam me novo vulnere perculsum, & tantùm non confectum sensi. Codices nempè, quorum eximio fulgore occulta naturæ magnalia detegere promiserat, singulari sagacitate designatos, nec minore studio ac arte contextos, me vana spe reperiendi lactaveram, quibus typis mandatis publicique Juris factis, nequaquam dubitavi, quin hoc, quantum, quantum dispendium, per frequentes præ-*

li partus aliquatenùs resarciri potuerit; seu Eheu! nil præter prima posita fundamina, & adumbrata solummodò Musarum Palatia sese inspicienti obtulêre; quibus extruendis & ad fastigium demùm perducendis, ingens quidem Adversariorum Botanicorum moles satis materiarum suppeditabat. Nequeo tamen non fateri, hanc Chartarum copiam non modo rudem esse ac indigestam, sed & Notas & rerum descriptiones, quas explicandi gratia, sparsis foliis addiderat, obscura & discruciatrice brevitate laborâsse. Videtur enim Clariss. Auctor plura memoriæ quàm Chartis credidisse, quâ eum destituente, ad has, optima labilis memoriæ subsidia, extemplò fugere potuit. Verùm quod res tam inauspicatò sese habeat, neque ad supremum culmen hæc egregia Floræ monumenta sint evecta, non industria aut sudoris defectu, sed ob temporis angustias, & infinita negotiorum genera, quæ jugitèr ipsum interpellârunt, accidisse, omnes, quos sedula illius indoles non latuit, facilè agnoscent. Perpetuò sanè aut Libris inhæsit, aut operam curiosa eruditione Pupillos instituendo

col-

collocavit. Sed nolo in tam patente dicendi campo latiùs expatiari iis enim, quibus docta ejus comitas perinde ac mihi cognita, probè perspecta; quibus minus; neutiquam credenda prædicarem. Quisquis de tanto viro vel vera loquitur, non poterit vilem ac infamem Adulatoris notam evitare. Cæterùm cùm inclyti Authoris vita, mores, munera ac scripta jam fusè, sed Romana planè eloquentia, à Clarissimo Bidloo *celebrentur, liceat mihi saltem paucis exponere, quibus in studiis desudaverit, & qualia emolumenta ab antelucanis & nocturnis illius lucubrationibus ad Remp. literariam devenissent, si Deus ipsum diutiùs vivere permisisset, ut inde tandem tibi magis constet, Benevole Lector, quàm immensa clades per luctuosum* Hermanni *fatum Philosophicæ genti inferatur.* Orat. funebr. his impress.

I°. *Itaque in secunda Editione* Floræ Batavæ Florum *corrigenda ac exornanda horas subcisivas posuit, cujus tertiam circiter partem revisam moriens reliquit, & cui intra unius mensis spacium, si ita visum fuerat Numini, ultimam manum adjecerat.*

Me-

Methodum quam hoc in libello sequutus, non ut accuratam omnibusque numeris absolutam exhibuit, sed ut Tyronibus & Discipulis suis, cujus gratia eam concinnaverat, magis accommodatam. Quapropter aliam amplioris ditionis, & naturæ magis convenientem excogitaverat, non à florendi modo *nec* fructificatione *solâ, sed & à* crescendi modo *totiusque Plantæ* habitu *desumptam. Cùm enim characterem plantarum generalem, qui à* flore *petitur, speciebus consimilibus variare animadvertisset, [uti Tormentillâ vulgari & Pentaphyllo Cassubico Tormentillæ facie, quæ flores ferunt tetrapetalos: quinquefolium verò vulgare, pentapetalos: solanum tinctorium Barbadense & Zeylanicum sunt tetrapetaloidea, solanum verò seu Amaranthes Indicus baccifer, pentapetaloides: verbena urticæ folio, verbena pariter spicâ multiplici (ut plurimùm) flores proferunt regulares, seu ex segmentis æqualibus constructos; cæteræ species congeneres è contrario irregulares seu ex segmentis inæqualibus compositos. Inter Corymbiferos etiam ita natura comparatum est,*

ut

ut aliæ ejusdem generis plantæ flores obtineant radiatos, aliæ nudos, aliæ nunc radiatos, nunc nudos, ut Chamæmelo, matricariâ, chrysanthemo Valentino Clusii, Jacobæa vulgari &c. accidit, cum has, inquam, ambiguas vegetabilium facies, & lascivos quasi floræ lusus animadvertisset, hanc tanquam arctam nimis & angustam methodum, minusque cum suo instituto quadrantem repudiavit.

2°. Nec Plantarum indicia à fructificatione sola capi voluit. Vix certiora & magis constantia signa, seu ut Botanici loqui amant, Notæ characteristicæ, ab hac, quàm à florendi modo, duci possunt, ut in Hyperico, Papavere, Cisto & Chamæcisto notissimum est. Nec minorem varietatem in Fumariæ speciebus observare licet, quarum nonnullæ sunt siliculosæ, aliæ siliquosæ, & Fumaria Africana vesicaria scandens semper semina inflatis vesiculis inclusa producit; quam tamen Hortulanorum vulgus primo intuitu pro vera Fumariæ specie acciperet, nec ab ejusdem familiæ plantis sejungeret.

3°. *Negabat pariter peritissimus Author aliquid certitudinis posse vel* ab utroque simul sumpto *derivari; sic enim sub diversis vexillis*, floris & capsulæ ratione, *iis militandum esset; quod citra nova exempla, re herbaria versatis, ex supra allatis instantiis facile patebit. His assiduè animo revolutis*, & crescendi modum & totius plantæ habitum *reliquumque accidentium apparatum, non tantum ad species subalternas, sed etiam ad genera constituenda necessariò accersi debere sibi persuasissimum habuit. Quid autem hac in re præstitisset, quantisque passibus alios, qui in eodem scrutinio sese exercuerunt, superâsset; ob inopinam Authoris necem conjecturâ tantum assequi conceditur.*

Nec magna hæc moliri contentus, se Plantas utriusque Indiæ indigenas in proprias Classes partiturum, methodumque iis congruam, quod usque adeò ab orbe Botanico desideratur, ex instructissimo cognitionis suæ penu depromsurum, mihi spem non mediocrem sæpius fecerat. Et quò citiùs hoc effectum daret, ultro me in consortium operis contuli, & Plantas,

tas,

tas, Fructus & semina, quæ ex Orientis & Occidentis regionibus sibi comparaverat, secundum affinitates & cognationes suas pro meo modulo distribuere non cessavi. Ipso verò die, quo hoc quicquid erat laboris, absolveram, Clarissimus HERMANNUS *fatali morbo correptus moribundus decubuit, finemque nostris conatibus mæstissimum imposuit.*

Ad Musæum Zeylanicum *quod attinet (cui elimando in Horti Academici Lugduno-Batavi principio summas ingenii vires se abbibuisse testatur) vehementer dolendum est, quòd infelici Authori præ aliarum curarum mole, descriptiones Figuris annectendas perficere non licuit. Icones quadringentas & quinquaginta plus minùs charta Atlantica seu Imperiali ut vocatur, in India dum ibi degeret, eleganter delineandas curaverat, quæ in hunc usque diem immenso chasmate dehiscunt, nec vacua earum interstitia, aliis rebus, quam solis Plantarum Animalium ceterisque Historiæ naturalis nominibus implentur. Sed nuda hæc sceleti membra satis pulcro orna-*

tu, ex ſplendidiſſimis ſimul & utiliſſimis commentariis, quos in India exaravit, cohoneſtentur, ſi par Labori artifex inchoato operi accedat, & utrumque non inconcinno nexu jungat, & gratiſſimam mehercule rem orbi literato faceret quicunque hanc ſpartam ornare ſuſciperet. Quippe in iis non tantum Hortum Malabaricum ad examen ſæpius revocat, ſed notas in illum conſarcinatas. aliquantillum perſtringit, ſed ita, ut utrique plurimum lucis impertiat. Nec hoc onus aliorum humeris Author impoſuerat, ſi Sereniſſimus Naſſavus *non tam repentè cum victricibus turmis in Angliam deſcendiſſet. Sed cum flagrante bello nullum, qui imprimendi nedum exculpendi ſumptus facere voluit, invenire potuerit, manum de tabula ſuſtulit, non ignarus cùm in eodem ſtadio cum Chalcographis & Typographis ſibi currendum & certandum eſſet, ſe ante illos ad metam pervenire potuiſſe.*

Catalogum inſuper Plantarum in Promontorio Bonæ Spei ſponte naſcentium, quam ejus monitu confeceram, calci hujus opuſculi ſubnectere ſtatuerat,

eo

eo nimirùm consilio, *ut* Prodromi Plantarum Africanarum, *aliquando forsan justo à se describendarum volumine, locum suppleret. Quem in finem non tantùm Plantas Africæ indigenas sexcentas & plures nitidè siccatas, & floribus fructuque onustas illinc deferendas; sed etiam plurimas alias, quæ ob crassitiem & succorum copiam difficultèr exsiccari poterant, ibidem nativis coloribus pingendas, non sine magna rei familiaris jactura procuraverat. Cùm verò ex illius morte novæ Plantarum species huc ex istis regionibus adducantur, & quotannis plures expectentur, satiùs duxi Onomasticon illud impræsentiarùm omittere, illumque notulis characteristicis & breviusculis hinc inde descriptionibus locupletatum, alia data occasione seorsim edere.*

Tractatus de Materia Medica *aureus iste* HERMANNI *liber duabus partibus comprehenditur; quarum* prima *veterum Medicorum sententias exponit, & lites inde oriundas dirimit:* secunda, *illam* Materiam *exhibet & illustrat, quæ præsentis sæculi praxi accommodatur. Porrò cum hoc opus brevi in*

gratiam Medicinæ studiosorum proditurum sit, plura de illo dicere supervacaneum esset.

Restat denique ut de Paradiso *hoc* Batavo *pauca præfarer; quibus scilicet rationibus inductus illius Editionem susceperim, & quid deinde in illo præstare conatus fuerim. Quod ad* primum *pertinet, cum communi scripturientium turba dicere sufficiat,* Aliorum utilitatem *me unicè ad hoc pensum obeundum impulisse. Sed superest aliud incitamentum quod me acriùs instigavit, Auctor siquidem ipse in Plantis depingendis, iisque ære incidendis non paulum pecuniarum insumpserat, adeò ut ni inveniretur quispiam, qui hanc provinciam aggrediretur, non tantùm opera (quod dici solet) sed & oleum perditum fuisset. Cùm autem nullus sese obtulerit, nec aliquis reperiri potuisset, ob amicitiam & benevolentiam, quâ à pluribus annis me prolixè prosequi non dedignatus est, non potui, tot Humanitatis officiis devinctus, auxiliatrices manus non porrigere, protinus igitur memet ad laborem accinxi, totisque viribus annixus, ut impensæ, quas in Literatorum usum & ornamentum eroga-*

erogaverat, ab iisdem denuò Familiæ suæ in integrum restituerentur. Atque hac de causa omnes (quotquot inveniri poterant) exculptas Tabulas excudendas duxi. Quæ enim numerum centesimum superant, unà cum figuris penecillo tantùm delineatis, (quorum Catalogum ad finem adjunxi) tanquam materiam futuris voluminibus componendis necessariam destinaverat. Opus enim in plures Centurias distribuere meditatus est, quibus non solùm Botanices pomæria, novarum plantarum accessionibus extendisset, sed & datâ occasione, obscurè & confusè descriptas illustrasset, Auctorumque de illis controversias exemisset.

Quoad secundum, *non opus est, Candide Lector, ut te longo verborum circuitu morarer. Facile dignosci potest, quod sit ab Authore præstitum, & quid à me adjectum. Hoc unicum addere lubet, me proprio Marte nihil fecisse, (quamquàm hæ Plantæ nec mihi ignotæ, nec perfunctoriè olim observatæ) sed* HERMANNI *scrinia compilâsse, & ex iis Descriptiones quales quales consuisse. Quòd vero minùs concinnæ sint, nec ad exquisititissimum Auctoris exem-*

plar

plar elaboratæ, non ægrè à Te veniam impetrabo, cùm nec Librorum copiam nec supellectilem Botanicam in itinere consulendam habuerim. Sed Icones (quæ Descriptionibus vix indigere videntur) adeò aptè cum Archetypis congruunt, ut hunc defectum abundè supplere possint. Quid de me & opera, quam huic libello impendi, senseris Lector, non valdè sollicitus sum; Te tamen rogatum velim, ut mendas, quibus undique urgeor, non accuratæ HERMANNI *pervigiliis, sed Editoris incuriæ & abrupto studiorum cursui attribuas. Vale.*


Dabam Genevæ.
6. Kalend. Apr.
1697.

GUILIELMUS SHERARD.

Ad Bibliopegum

Portulaca Coraffavica angusto longo lucidoque folio quæ notatur in icone p. 112. referenda est ad p. 212. & Orchidi affinis notata p. 187. ad p. 207. quæ etiam falso numeratur 187.

ACER



Clarissimo Viro

D. D. P. HERMAN

M. D. & Botanices Prof. Pub. Lugduni-Batavorum.

ODE.

HERMANNE, plectrum Threïcium
Tibi
Movere tendo; Quòd simul impulit
Orpheus, feruntur insecutæ
Harmôniam, Tua cura, Sylvæ.
Grandem canenti materiem admoves,
HERMANNE, lætis Nomen amabile
Plantis, & inscribi quod ultro
Corticibus petat omnis Arbor.
Quid arte possis, Indus & ultima
Natura sensit, cùm sapientiam
Quærens penetrabas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

*** Mul-

Multas ab Indâ Gente recepimus
Merces opimas; Nulla tamen ratis
Contendat illi; quæ reduxit
In patriam Batavumque cœlum
Te dulce pondus: Te, quia conscium
Anno feraci; Te, quia nobilem
Docere Plantas, quot recenti
Tertia Lux patefecit Orbi.
Hoc Leyda novit, cui Tua plurima
Fecére justam dona superbiam;
Hoc omnis in Leydâ Juventus,
Non eadem patriâ fatetur.
Urbs, illa centum fertilis artium
Mirè sagaces percutit Hospites,
Utcunque deducit per Hortum
Elysio minùs invidentem.
Hâc parte surgunt (heu, celeres mori!)
Flores, & omnis copia narium,
Felix Odoranti placere,
Dum pariter placet Intuenti.
Hac parte, Terrâ matre remotior
Vertex decentum tollitur Arborum,
Quales in Adami beatis
Ordinibus potuere nasci:
Myrtus polita, & Pierio choro
Quæsita merces Laurea, hec minus
Quæsita vitis, & perempto
Fida comes Domino Cupressus,

Et

Et multa Sylvæ filia nobilis
Pulcrè explicatur; Quæ mihi, quæ tibi
Subtus recumbenti Coronam
Exhibeat foliis, & Umbram.
Locatus illo sospes in angulo
Cantu perenni tempora ducerem,
Humi reclinis, inter Undas,
Inter Aves, pariter sonoras.
Ah, nequa Sævi intemperies poli,
Aut sidus ullum lumine noxium,
Felicis Horti spem virentem
Afficiat, tenerosque fœtus!
Non sic merens, qui tua sedulus
Tempe frequentas, &, quid opus, mones;
Seu Phæbus intrat, seu relinquit
Hesperiam vetus hospes undam.
Talis per Hortos ibat Ebraicos
Davidis Hæres; quem neque rustica
Arbusta mirari, nec Herbas,
Dedecuit superis propinquum:
Hinc Ille Cedri nubibus insitæ
Naturam, & apti lambere cespitem
Hyssopi, & in campis quod usquam est,
Egregius memoravit autor;
Frustra: Labores non meritos mori
Oppressit ævo dura necessitas,
Culpâque majorum nepotes
Ingenio Solomonis alti

Dudum caremus; dum supereſt adhuc
Onuſtus annis turpis Anácreon,
Manentque Ranarum pudenda
Mæonio calamo Duella.
Quin Te ſequetur parca benignior;
Nec ſi tuorum gloria tranſeat;
HERMANNE, Florum, Tu peractâ
Luce brevi morieris æque;
Sed quale fuſcâ Marmor in Africâ
Foſſum, decoræ materies domûs,
Firmatur annis, atque longâ
Duritiem trahit à Senectâ;
Tuum vigebit non aliâ vice
Volumen, Illi cuncta dies decus
Apponet, Illi ſemper ætas
Adveniens pretium arrogabit.


ED. HANNES A. M.

Ædis Chriſti Oxon. & eidem Illuſtriſſ. Academiæ Pub. Profeſſ. Chymiæ.



ACER

Virginianum folio ſubtus incano, floſculis ex viridi rubentibus.



ACER foliorum reſpectu in majus & minus dividitur. hujuſce duæ tantum ſpecies ab autoribus deſcriptæ ſunt, ſcil. ACER campeſtre & minus *C. B.* & ACER trifolium *ejuſdem* illius plures traditæ ſunt, præſertim à prædicto *Bauhino*, quæ non tàm facile diſtingui poſſunt. Nobis tres innoteſcunt, nempe *Prima* ACER majus, multis falſo, PLATANUS, *J. B.* paſſim obvium. *Secunda*, ACERIS majoris varietas *ejuſdem*. non tantùm *foliorum* delicatiore habitu & elegantiſſima diviſura, ſed & florendi modo à ſuperiore diverſa. *Flores* enim non adeò muſcoſi, ſed ex petalis flaveſcentibus conflati ſunt, quos non in racemo, uti in vulgari, prolongatos, ſed quaſi in umbellâ patulâ expan-

ſos profert. *Tertia*. ACER majus *folio* rotundiore minus laciniato, an OPALUS Italorum? *Ray Hiſt.* quod olim in Sylvis in Italia juxta Viterbam cum fructu frequens obſervavimus. *Fructus* vero vulgari tumidiores membraniſque bevioribus alatos, & ex breviori itidem pediculo pendentes profert. quas notulas adjungendas duximus, cùm *J. B.* de ſecunda ſpecie dubitaverit, an in flore, & fructu, à primâ aliqua fuerit diverſitas: & *Doctiſſ. Raius* ultimæ fructum deſcribere non meminerit. hiſce tribus & *Quartam* adjungimus ſpeciem à Virginia delatam, quam ACER virginianum foliis ſubtùs incanis, floſculis è viridi rubentibus nominare libet. Cæterùm hanc arborem ACERIS familiæ adjungere non dubitamus, quamvis fructum tergeminum proferat, & eo nomine, notâ Characteriſticâ à *Raio*, quoad ſemen allegatâ, abludat. cùm enim non tantùm creſcendi modo, foliis, floribus, ſed & toto plantæ habitu cum cæteris ſpeciebus deſcriptis conveniat, quamvis in unâ alterâve notâ, ſeu accidente dicam, differat, iis omninò aſſociandam eſſe ſtatuimus. Quin imo *Clariſſ. Plukenetius Tab. Phytogr.* 3. arborem ACER fructu tergemino vocat, quamvis folia cum Aceris foliis nullam affinitatem habeant, ſed ſunt planè laurina.

Cæte-


ACER
Virginianum.

Cæterùm *Caudice* assurgit crasso, cortice glabro cinerino obducto, & in plures ramos patulos brachiato. *Folia* adstant ex opposito, Aceris majoris foliis minora, subtusque glauca, pediculis triuncialibus & longioribus appensa, odore & sapore ad folia Aceris vulgaris accedentia. ad ramorum nodos erumpunt *flosculi* pediculis sesquiuncialibus, tenuibus, rubentibus insidentes, quini aut plures ex unâ quasi sede seu nodulo, veluti in ceraso, prodeuntes, nodulis binis è regione oppositis. singulis pediculis insidet flos unicus, ut plurimùm ex sex petalis in imo viridantibus & circa margines, præcipue vero ad apices intensè rubentibus. intra florem continetur vasculum parvum triquetrum, ex tribus quasi alis constructum, è cujus apice prominent tria vel quatuor stamina intensè rubentia, corniculata recurva. *Fructus* antequam, ad maturitatem pervenerat, decidit; Verùm non dubito, quin cum *Aceris* fructu conveniat. Patriam agnoscit Virginiam, unde in Angliam primò delata fuit, ubi illam nacti sumus. frigoris patiens est, hyeme verò in hybernaculo nostris in oris oportet custodiri. Hæc est illa species *Aceris* occidentalis folio minore, subtùs incano, supra virente; quæ *Acer* florescens virginianum audit, & inodora est, cujus meminit *Kohn in MSS.* 1761. *Acer* verò virginia-

ginianum odoratum *H. L. B. in app.* eſt Styrax Aceris folio ejuſdem. pag. 1681.

ALCEA *minor maritima tenuifolia procumbens.* **ALCEA** *tenuifolia humilis maritima Gallo provincialis, foliis inferioribus nonnihil ad Geranium accedentibus Schol. Bot. Hort. Reg. Par. Malva Gallo provinciæ laciniata, ſeu* **ALCEA** *tenuiſsimis Pulſatillæ foliis flore amplo rubente Pluck. Phytogr.*

PLantæ MALVACEÆ vulgo dictæ, ſeu quæ nominibus *Malvæ, Alceæ,* & *Althææ* notatæ ſunt, in duo ſumma genera diſpeſci poſſunt, quorum primum continet eas, quæ ferunt ſemina nuda; alterum quæ ſemina habent capſulis incluſa. Quo vero generico & adæquato nomine utriuſque & inprimis poſtremi generis ſpecies vocandæ ſint, herbariæ rei ſcriptores inter ſe non conveniunt.

Fratres *Bauhini* & qui ante hos ſcripſerunt plurimi utriuſque generis ſpecies confuſè, & permix-

tè

cè tractarunt & nominarunt, non animadvertentes notam à natura ipsis impressam à qua species singulæ discretè & electè discernendæ & nominandæ sint.

Robertus Morison primi generis species *Malvas* & *Alceas*, posteriores vero *Althæas* appellat; *Joh. Rajus* prioris generis plantas *Malvas Althæas* & *Alceas* absolute sic dictas, postremi *Alceas Indicas* vocat; minus tamen contentus postremâ hac appellatione tanquam minus congruâ inquit: *Postremi hujus generis plantæ suum & proprium genus constituunt & si res foret integra, patriæ potius nomine quam Alceæ eas appellarem.*

Igitur cum postremi hujus generis species proprio & adæquato nomine usque adhuc careant, visum nobis est *Morisoni* sententiam, à modernorum plurimis receptam sequi, & *officinarum Althæam* aliis *Ibiscus* aut *BisMalva* dictam priori nempe Malvarum generi inscribere & *Malvæ mollis & incanæ* seu ut *Morisono* placuit *palustris* nomine appellare tùm quod à *Malvis* non differt nisi quod mollior pilosior magis incana & mucagine plenior atque adeo partibus omnibus *Malvis* similior quàm *Alceis* sit, tùm quod ab ipso præceptore *Dioscoride Malvæ* sylvestris species enunciatur.

Sunt autem *Malvis semina* nuda, plurima semilu-

lunaria in rotulæ ſeu placentæ formam circumacta; *Calyces* quaſi gemini in octo, plura vel pauciora, ſegmenta tanquam foliola diviſi; *Flores* è quinque petalis ad unguem junctis & intermedio ſtylo apicibus prædito vel hujus loco numeroſis petalis constructi, nunc ſingulatim, nunc acervatim nunc in ſpicam congeſti. *Folia* ſimplicia alterna vel ſubrotunda vel oblonga, vel integra vel minus profundè lobata.

His annumeratur quædam heteroclyta, ſeu degener *Malva* ſylveſtris *Betonicæ* folio *Bocconi* dicta, cujus *ſemina* nec ſemilunaria nec in rotam acta, ſed ſubrotunda, & in capitulum *Botryos* in modum congeſta ſunt.

Quæ *Alceæ* nomine veniunt duplicis ſunt generis. Prioris ſpecies partibus principibus cum *Malvis* conveniunt, *Caules* autem, & *folia* nonnihil aſperiora ſunt, & in anguſtiores & profundiores lacinias diſſecta. *Flores* nullis in medio petalis, ſed apicatis ſtylis exornantur, & vel ſingulatim, vel acervatim è foliorum alis oriuntur. Poſterioris ſpecies proferunt *ſemina* nuda trigona quina rarius plura, vel pauciora preſſè juncta, & in capitulum congeſta; in ſuperficie vel glabra; vel *Xanthii* more echinata & lappacea; *Calyces* ut plurimùm quinquefidos; *Flores* pentapetalos veluti in priori genere, aſt minores

ALCEA *minor maritima tenuifolia procumbens*



nores; *Folia* vel integra in margine tantum crenata, *Carpini, Ulmi*, aut *Mori* foliorum æmula, vel in lobos plus minusve profundos dissecta.

ALTHÆÆ. producunt *semina* vel angulosa vel rotunda in vasculis quinque pluribus aut paucioribus loculis instructis, formæ & magnitudinis variæ; *Calyces* & *flores* malvaceos diverso modo dispositos; *folia* alterna nunc integra nunc lobata nunc profundius laciniata.

Pro partium dispositione & formâ variâ varias in classes distribui possunt, prout ex singularum specierum inspectione & examine facile patet.

Ad *malvaceas* plantas referunt nonnulli *Abutilum Melochiam* & *Geranium*, quas, quamvis ratione florum non nihil similitudinis cum *Malvis* obtineant, tamen ob vascula seminalia malvacearum dissimillima, à malvaceis separandas & genuinis suis familiis, quarum insignia gerunt, inserendas, nempe *Abutilum* plantis multisiliquis pentapetalis, *Melochia* pentapetalis siliquosis quinque capsularibus, *Geranium* quinque capsularibus pentacoccis.

Planta quam impræsentiarum describere exordiar *Alceis* primi generis annumeranda est; *Radicem* habet albidam aliquot in longum porrectis fibris cohærentem; *Cauliculos* infirmos humi jacentes cubi-

cubitales, *Folia* ima ſubrotunda ſunt quinquifida glabra *Geranii* ſaxatilis *Apii* aut *Coriandri* foliorum æmula, Quæ verò è cauliculorum nodis exeunt ampliora & in profunda anguſtaque ſegmenta diviſa ſunt. *Flores* pentapetali incarnati Alceæ vulgaris floribus minores inſident *calycibus* quinquifidis, quos elapſis floribus, occupant *ſemina* plurima parva lunata nigricantia in rotam congeſta. Solo irriguo & opaco lætius germinat quam eo, quæ à Solis radiis colluſtratur. Utrum annua ſit aut perennis mihi non ſatis exploratum eſt. Quam hactenus in horto colui repullulavit ex ſeminibus deciduis, radice penitus corruptâ. Hæc fibroſa licet ſit, mucagine tamen haud caret atque adeo virtute molliendi leniendique congeneribus ſuis non multum inferior judicatur.

Debetur hæc planta *Cl. DN. Joſepho Pitton Tournefort*, Viro, ut in omni doctrinarum genere ita imprimis in herbariæ rei peritiâ exercitatiſſimo paratiſſimoque, nunc Academiæ Galliarum Regis ſocio digniſſimo, qui primus eam in locis maritimis Gallo provinciæ reperit, & in Hortum Regium Pariſienſem tranſtulit, è quo *D.N. Pluckenetius* ramulum quem in *Phytographiâ* exhibuit, accepit.

ALCEA


ALCEA Coruſſanica
hirsuta parvo flore
foliis lobatis.


72
ALCEA Coruſſarica
Malvis folio

ALCEA *Corassavica Villosa Aspera Melonis Folio Par. Bat. pr.*

E *Radice* fibrosa pallida emergit *Caulis* vix pedem superans, rigidis pilis undique asper & in plures infirmos ramulos brachiatus. *Folia* adstant similiter hirsuta pediculis villosis appensa, *Cucumeris* asinini foliis minora & tenuiora. Ramulorum summitates in *folia* expanduntur prioribus similia minora tamen longe & angustiora, petiolis brevibus aut nullis, inter quæ fasciculatim prodeunt *flores* parvi pentapetali albi, pediculis itidem brevissimis, quibus succedunt *semina* quina nuda duplici rostro donata & in orbem disposita *Alcearum* secundi generis instar. *Calix* subjicitur quinquifidus, ex quinque scilicet foliolis acutis compositus, more congenerum.

ALCEA *Curassavica hirsutissima parvo flore; Foliis lobatis. Malva Curassavica folio trilobato molli & hirsuto. Par. Bat. pr.*

E *Radice* pluribus longis fibris capillata, exsurgit *Caulis* asper, subhirsutus, bicubitalis pol-

licem crassus, in ramos brachiatus, cui adstant *folia* pediculis biuncialibus & longioribus, pilis undique rigidis obsitus appensa, trilobata & quinque lobata, dentata, lobo extremo longiori non nihil mucronato, pilis iisdem utrimque aspera, tribus majoribus nervis in dorso elatis inscripta. *Folia* superiora minora sunt in tres tantum lobos divisa. *Flores* ad ramorum fastigia tres aut quatuor simul juncti, albi aut incarnati, parvi, vix perfectè sese aperientes, cum pistillo in medio pallido, apicibus rubentibus coronato. *Calyx* constat ex decem villis tenuissimis cui insidet calyx alius in quinque segmenta divisus. Antequam semina perfecerat, hyemis injuria periit.

ALSINE *Americana Nummulariæ foliis.*

ALSINE est Planta unicapsularis, capsulis parvis vel oblongis vel subrotundis *seminibus* multis exiguis refertis; *Floribus* vel pentapetalis vel tetrapetalis, petalis nunc bifidis nunc integris; *Caliculis* nunc quinquifidis nunc quadrifidis, ut plurimum floris in modum expansis; *Foliis* in plerisque speciebus ad singulos cauliculorum nodos conjugatis nunc binis nunc pluribus rarissime alternis seu singularibus.

Do-

ALSINE *Americana Nummulariæ folys.* p.



Doctissimus *Rajus Alsinarum* species haud inconcinno ordine in tres classes distribuit nempe Io in tetrapetalas anomalas. IIo in pentapetalas genuinas petalis bifidis & IIIo in *Alsines* petalis integris aliasque affines incertæ sedis; postremæ classi inserenda est *Alsine* Nummulariæ foliis.

ALSINE *Americana Nummulariæ foliis.*

Nata est Seminibus ex Surinama delatis. *Radiculæ* prætenuibus candicantibus fibris capillantur. *Coliculi* teneres valde ramosi longo varioque repratu per humum divagantur, & ad singula genicula *foliolis* subrotundis glabris hilare viridantibus, minori *Nummulariæ* proximis conjugato ordine exornantur. Circa summitates ramorum hærent *flosculi* pusilli ex quinque petalis integris albidis constructi, quos excipiunt *semina* exigua fulva in vasculis parvis unicapsularibus, quinquifido calyci insidentibus. Quanquam è delapsis seminibus copiose pullulet atque etiam ex singulis ramulorum geniculis, ubi terram attigerint radices agat seseque quasi sua sponte propaget; attamen


tamen brumam aeremque pruinosum ferre nesciens in Hypogæis solicite custodienda est. Nullo evidenti sapore linguam imbuit. Quam *CL. Plukenetius in Pythographia* hoc nomine proposuit, minus perfecta & de ramulo sicco quem pridem *CL. DN. Sherardo* concessimus, expressa est.

Ad eandem classem quoque reducenda est

ALSINE *Alpina glabra tenuissimis foliis, floribus albis.*

HAnc inter alias rariores stirpes ex Alpibus lectam, Augustâ Vindelicorum ad nos misit *Joh. Fridericus Heinrich* Stirpium Alpinarum indagator & cultor solertissimus. *Radice* nititur albida multis capillamentis, è lignoso cespite prodeuntibus fibrata. *Coliculis* numerosis glabris geniculatis, longitudine palmum nonnunquam superantibus singulis annis exarescentibus & è radice repullulantibus; *Foliolis* angustissimis acuminatis ad singulos nodos conjugatis; *Flosculis* candidis pentapetalis aliquot pallidis apiculatis staminibus exornatis, petalis integris (haud acuminatis uti sculptor expressit sed) obtusis, *Calyculis* pentaphyllis stellæ instar expansis. *Conceptaculis* unicapsularibus per

ALSINE *Alpina glabra*



per maturitatem quinquefariam dehiscentibus, in quibus continentur *ſemina* exigua fuſca. Multum accedit ad *Saxifragam Bavaricam Parkins.* cujus iconem *Pluckenetius Tab.* 75. nomine *Alſines alpinæ glabræ foliolis reflexis* propoſuit. Nec Diſſimilis (ſi non eadem) videtur *Alſinæ puſillæ pulchro flore, folio tenuiſſimo ſem. Saxifragæ puſillæ Caryophyllodes flore albo pulchello Raji Synops.* p. 148.

Sicut duo genera ſunt *Amaranthorum*, quorum primum in vaſculo mucronato ſeu conico per maturitatem horizontaliter diſſiliente claudit ſemen unicum orbiculatum lucidum, alterum vero in conſimili vaſculo ſemina plurima priori paria: Sic quæ ob horum affinitatem *Amaranthoidæ* vocantur duplicis generis ſunt. Prius in pellicula tenui tanquam puſillo vaſculo occulit ſemen unicum lucidum; Poſterius verò ſemina plura. *Amaranthoidis* polyſpermi ſpecies duæ proponuntur in *Hort. Malab. part.* 10. nempe.

I. Belutta-adeca-manjen

II. Tseria belutta-adeka-manjen

Amaranthoidis monoſpermi ſpecies ſeptem innotuerunt, tres nempe majores ſeu elatiores & quatuor minores ſeu humiliores.

I. AMARANTHOIDES Indicum *foliis Ocymastri capitulis purpureis.* Amaranthoides *Indicum monospermum foliis Ocymastri capitulis purpureis Par. Bat. Prodr. Gnaphalio adfinis Ocymastri folio, flore ex purpura violaceo Hort. Lugd. Bat. Amarantho affinis Indiæ Orientalis floribus conglomeratis Ocymoidis folio Breyn. Cent.* I. *Amarantho affinis seu Amaranthoides major Indica Ocymoidis folio & facie flore globoso purpureo Breyn. Pr.* 2. Wadapu *Hort. Malab part.* 10. Wadambu *Zeyl.* Fula Bouton Malai.

II. AMARANTHOIDES Indicum *foliis Ocymastri capitulis albis. Amarantho affinis Indiæ Orientalis Ocymoidis foliis flore conglomerato albo Breyn. Cent. I.*

III. AMA-

Amaranthoides ferrugineum. p.18

Amaranthoides folijs polygoni. p. 17

Amaranthoides gramineo folio. p.17



III. AMARANTHOIDES. Americanum *capitulis parvis albis. Amarantho affinis Brasiliana glomeratis parvisque flosculis Breyn. Cent. 1.*

SPecies duæ priores utrique Indiæ familiares sunt. Tertia quam siccam ex *Sirinama* recepi prioribus speciebus tenuior. & gracilior est, *folia* teneris nonnihil angustiora pallide virentia pube nulla obsita, in longum & acutum mucronem porrecta. *Capitula* triplo minora sunt & foliolis ad basin omnimodo carent.

Inter humiliores species prima est.

AMARANTHOIDES humile Coraſſavicum *Cepeæ foliis lucidis capitulis albis Par. Bat. prodr. Amarantho affinis Aizoides sive Amaranthoïdes minor Americana procumbens Sedi teretifolii foliis & facie, flore oblongo niveo Breyn. pr. 2. Perexil Lusitanis, Crithmum marinum non spinosum*

nosum Marckgr. Caaponga Ima Brasiliensium Pison. Trifolii spica Crithmum maritimum non spinosum Brasiliense Raj. Hist.

F*Olia* promit conjugata succosa crassiuscula lucida *Sedi* teretifolii seu potius *Cepeæ* foliis superioribus similia, hærentia *cauliculis* digitum longis geniculatis media inferiori parte procumbentibus, qui mox à radice in multos ramulos sibi invicem oppositos divaricantur. Horum summitates ornant *capitula* oblongo-rotunda candida ex numerosis rigidis foliolis quasi squamis cum interjectis flavescentibus staminulis tanquam flosculis congesta. Singulis squamis includitur *semen* fuscum lucidum depressum tenui pellicula velut vasculo tectum. *Radix* perennis est albida & fibrosa, quæ cauliculis exarescentibus nova germina emittit. Asservari expetit in Hypocaustis locisve à gelu liberis. Muria velut *Chrithmum maritimum* condiri, appetitum excitare urinam movere & Viscerum deoppilationes aperire refert *Marckgravius*. Altera est

AMA-

AMARANTHOIDES humile Coraſſavicum *foliis Polygoni. Par. Bat. Prodr.* Amaranthoides *minima Americana procumbens Polygoni foliis & facie, flore oblongo cinereo. ſeu ſubalbido. Breyn. prodr.* 2.

C*auliculos* habet teneriores & in ramos crebriores diviſos; *Folia* pallide virentia minus ſucculenta facie *Polygoni* polyſpermi; *Capitula* pallida ſeu cinerea molliora & graciliora tam ramulorum ſummitatibus quam foliorum ſedibus inſidentia. Cætera ſuperiori ſpeciei reſpondent. *Radix* annua videtur. Multiplicatur ſeminibus deciduis. Tertia dicitur.

AMARANTHOIDES humile Coraſſavicum *anguſtiſſimo gramineo folio. Par. Bat. pr.* Amaranthoides *perexiguum foliis tenuiſſimis longioribus Breyn. prodr.* 2.

HUic sunt *coliculi* tenuissimi erecti, *Folia* angustissima Polygoni *Knawel Tragi* æmula; *Capitula* perexigua. Postrema vocatur

AMARANTHOIDES humile Corassavicum *ferrugineum. Par. Bat. prod.*

A secunda specie differt colore ferrugineo atque foliis nonnihil latioribus.

ANEMONE Virginiana *tertiæ Matthioli similis, parvo flore Hort. Lugd. Bat.*

ANEMONE sylvestri albæ majori *C. B. P.* seu tertiæ *Matthioli* perquam similis est. Ast *folia* ad radicem sunt amplioria in tres lobos trifariam sectos divisa acrimonia sua linguam pungentia; *Flores* minores in viridi pallentes, *Capitula* tenuiora horumque lanugo, in quam fatiscunt, minus candida.

ANTHIRRHINUM Lusitanicum *flore rubro elegantissimo. An* ANTHIRRHINUM *majus semper florens Grisl. Virid. Lusit.*

Ex


ANEMONE
Virginiana

ANTHIRRHINUM *Lusitanicum*. p. 18



EX seminibus Ulyssiponæ lectis nobis ortum est. *Caulibus* adstant *folia Antirrhino* majori alteri *C. B. P.* paulo breviora nunc alterno nunc conjugato ordine disposita. *Flores* ampliores sunt quam in vulgari, hilarique rubore elegantissime nitent. In Hypocaustis asservatum tota hyeme vivet & viget.

STirpes, quæ siliquas ferunt unicapsulares univalves per longitudinem dehiscentes, & in his semina cum propendente promissa lanugine, imbricum modo stylo nutritivo incumbentia, vocantur ab herbariæ rei peritis vel *Asclepiades* vel *Apocyna* vel *Neria*. Inter has autem id discriminis ponendum ducunt ut *Asclepiadibus* sint siliquæ ex singulis calycibus singulæ; *Apocynis* & *Neriis* ex uno calyce geminatæ. *Neria* stirpes arboreas esse succumque limpidum flavescentem fundere; *Apocyna* lacteum stillare perhibent.

His autem distinctionum notis prædictarum stirpium species invicem discerni non posse vel ex inde evincitur, quod, quæ uni soli convenire dicuntur, simul & cæteris promiscue contingant. Nam siliquarum in *Asclepiade* numerus non semper deprehenditur singularis, sed sæpe pro naturæ lusu ex uno calyce geminatus; Et è contra *Apocynum*

non conſtanter gerit ſiliquas ex uno calyce geminas, ſed nonnunquam ſolitarias. Neque ſolum *Nerium* arboreſcit flavumque ſuccum fundit, ſed & *Apocyna* quædam ſunt, quæ in arborem adoleſcunt & limpido flaveſcenteque ſucco turgent. Præterea *Nerium* non ex ſingulis partibus uniformem ſuccum emittit, ſed *Fab. Columna* & autopſiâ teſtibus e ramis & trunco ſuccum limpidum & flaveſcentem, è radice lacteum. Imo vero in *Aſclepiade* & *Apocynis* quibuſdam ſub æſtatis initio ſuccus limpidus, circa autumnum ſpiſſus lactis inſtar animadvertitur.

Nonnulli *Aſclepiadem ab Apocyno* diſtingui poſſe opinantur, florum foliorumque ſtructura, ut & radicis graveolentia, & virtute alexipharmaca; ſed cum hæc attributa ſimul *Apocynis* quibuſdam communia ſint, *Aſclepiadi* propria dici nequeunt.

Si igitur *Aſclepiades Apocyna* & *Neria* nulla conſtanti & perpetua nota ab invicem diſcerni poſſint, nihil profecto obſtat, quin uno eodemque generico nomine *Apocyni* nempe nominentur.

Horum genus cum numeroſiſſimum ſit, herbariæ rei ſtudioſis non inutile nec ingratum fore judicavi, ſi harum ſpecierum varietatem quæ vel ab aliis vel â me ipſo hactenus detectæ ſunt, hac occaſione ſubjungerem.

APO-

APOCYNUM Americanum *erectum tuberosa radice non incanum foliis rigidioribus latis subrotundis, floribus albis intus purpureis, summo caule corymbum magnum efformantibus. Fortè Apocynum erectum non ramosum latiori folio umbellis florum albicantibus. Banist. Cat. Stirp. Virg. Plucknet. phyt.*

Num sit *Apocynum Americanum arborescens foliis rigidis subrotundis amplissimis Par. Bat. Pr.* ipse cum *Plucknetio* dubito. Hoc etenim antequam flores conceperat, brumæ rigore periit. *Radix* lignosa quidem, sed tuberosa non erat. *Folia* cum *Plucknetiano* conveniebant. Conspeximus in Horto *Fageliano* e semine educatum.

APOCYNUM Americanum *arborescens fructu omnium maximo Par. Bat. Pr.*

Natum in Horto *Beverningiano* altero à satu anno antequam nihil præter *caulem* & *folia* exhi-

bens denatum est. Illud altitudinem pedalem crassitiemque digiti adimpleverat. *Hoc caulem* acquisiverat lignosum bipedalem; *Folia* læte viridia palmam ampla, subrotunda in basi cordata, conjugato ordine ex triuncialibus petiolis hærentia. *Semina* erant depressa congenerum more lanuginosa candida cæsarie donata. *Siliquæ* magnitudine ovum anserinum longe superabant, constabantque cortice coriaceo crasso glabro in fusco viridante parte superiori per longitudinem hiulco.

Apocynum Portoricense *frutescens foliis crassis hastæ cuspidi similibus Hort. Beaumont.*

IN *Paradisi Batavi Prodromo* proponitur nomine *Tithymali Portoricensis folio crasso hastæ cuspidi simili.* Verius *Apocyno* inferendum est, ob fructus, quos cum his convenire non ita pridem intelleximus. In horto *Beaumontiano* stirpium exoticarum feracissimo, triennii spatio *caulem* acquisivit sesquipedalem pollicem crassum lacte turgidum, quem absque ullo ordine cingebant *folia* densa, digito longiora, ex angusto principio in latum mucronem palæ vel hastæ cuspidi similem exeuntia. *Flores* & *semina* videre nondum licuit.

Apo-

Apocynum erectum Africanum *villoso fructu Salicis Folio lato glabro.*

INsigni fibrosarum pallidarumque *Radicum* latè porrectarum contextu luxuriat *Apocynum* hoc orgiss imum. *Caule* assurgit ut plurimum unico, quatuor aut quinque cubitos alto glabro viridi, inferius non nihil purpurascente, in multas alas diviso. Hunc adornant *Folia* salici quadantenus accedentia, glabra, ad ambitum integra, bina ex adverso brevissimis petiolis hærentia, quæ parti caulis inferiori adstant, latitudine pollicem, longitudine digitum cum semisse superant, cætera sensim angustantur abbrevianturque. Ad quamcumque foliorum conjugationem à medio ad fastigium caulis usque exit *Pediculus* digitalis, in septenos denos pluresve radios in corymbum seu umbellam actos divisus. Singuli sustinent in calculo parvo quinquifido *Capitulum* pentagonum futuri *Floris* rudimentum quod radiis incurvescentibus deorsumque nutantibus in quinque candidissima *segmenta* ad ambitum rara lanugine pubescentia se laxat mediam occupante rigidiusculo concolore *Capitulo*, ex quinque concavis quasique bifidis costulis, melleo punicante succo turgidis, constructo, qui nisi formicis muscis apibusve absumatur sæpe in

in ſubjectis foliis lachrymarum inſtar deciduis apparet. *Floribus* marceſcentibus ſuccedunt *Folliculi* nunc in ſingulis radiis & calycibus ſinguli nunc gemini in extremitate acuminati veſicæ inſtar inflati, ex duobus tenuibus membranis conflati quarum exterior gallinacei ovi magnitudine, mucrone oblique ſurſum tendentes, longis viridantibus villis quaſi inermibus aculeis prædìti armati. Hi maturitatem adepti ſumma parte per longitudinem ſe aperiunt oſtenduntque *Semina*. parva oblonga non compreſſa pyriformia fuſa plumoſa. imbricata ſerie intermedio nutritivo ſtylo incumbentia, & candidiſſima ſplendenteque lanugine donata.

APOCINUM erectum Africanum *villoſo fructu Salicis Folio lato ſubhirſuto.*

APOCYNUM erectum Africanum *villoſo fructu Salicis Folio glabro anguſto.*

VTrumque præcedenti conforme eſt. Prius autem profert *Folia* mollia leniterque hirſuta; poſterius folia anguſtiſſima glabra atrovirentia, & *Flores* paulo minores in viridi pallentes, *Folliculos*, quoque minores villis crebrioribus & tenuioribus exaſperatos.

Tri-


APOCYNUM
Salicis folio
lato


APOCYNUM Salicis folio angusto.

Triplex hoc *Apocynum* debetur *DN. Henrico Bernbardo Oldenlandio*, Viro in rerum naturalium maxime vero vegetabilium ſtudio verſatiſſimo, qui anno 1690. ex Promontorio Bonæ ſpei hujus ſemina ad nos tranſmiſit. *Radicibus* eſt perennantibus brumam non multum reformidantibus. De facili *propagatur* tum germinibus ſubinde è radice pullulantibus, tum ramulis avulſis & media æſtate terræ commiſſis, tum etiam ſeminibus, quæ in hybernaculis ad maturitatem perducuntur. *Lac*, quod ſauciatæ partes ſingulæ ſub noſtro climate profundunt, guſtantum inus acre & ferme inſipidum deprehenditur.

APOCYNUM erectum Africanum *ſubhirſutum foliis undulatis*.

Hujus *Apocyni* ramulum ſiccum ex monte petroſo vulgo *Steenberg* ad promontorium Bonæ Spei collectum tranſmiſit idem laudatus *Olden landius*. Totus rara quadam *lanugine* pubeſcebat; *Color* erat in viridi puniceus, craſſities calami anſerini, longitudo cubiti; *Folia* digitum longa, ad baſin pollicem lata ſenſim in mucronem abeuntia ad margines eleganter ſinuata undulataque, bina ex adverſo ſita. Cacumen ornabat venuſta *florum*

corona effigie umbellæ, singulis *floribus* ex quinis segmentis deorsum flexis & intermedio prominente umbone compositis, coloris, prout ex sicco exemplari conjicere licuit, in viridi flavescentis. *Semina* congeneribus paria erant plana nigricantia, & ob forsan imperfectam maturitatem nonnihil corrugata. Telluri enim commissa non pullularunt.

APOCYNUM erectum Africanum *sub incanum foliis Telephii*

Acceptum debemus sæpius laudato *DN. Oldenlandio.* Secundo à satu anno adolevit in *caulem* altitudine duorum cum semisse pedum crassitie digiti teretem parte inferiori juxta radicem ubi in aliquot ramos dividebatur nodosum inæqualem incana lanugine pubescentem. Hunc conjugata, cruciataque serie cingebant *folia* subrotunda crassa densa, formâ *Telephio*, colore vero & consistentia *Apocyno Syriaco Cornutiano* nonnihil similia, carinata, è basi lata in acutam brevemque cuspidem desinentia, pallide virentia quasi incana multisque venulis insignita, quorum inferiora amplitudinem pollicis æquabant, Superiora verò holum latitudinem & longitudinem duplo triplove ex-

excedebant. E ſupremo ramorum apice & ipſorum etiam foliorum conjugationibus, medio menſis Novembris apparebant parvi *florum* corymbi, qui antequam ſe explicare & perficere poterant ob aëris rigidioris qui illo tempore ingruere ſolet, in clementiam, peribant. Videbantur autem floribus *Telephii* vix majores ex quinquè ſegmentis & intermedio parvo umbilico, aliquot ſtaminulis circumdato conſtructi coloris expuniceo & violaceo obſoleti. Singulis ſubjiciebatur *calyx* in quinque foliola veluti foret flos ipſe expanſus quem & magnitudine omnino adæquabat. *Radix* multâ fibrarum pallidarum copia denſe contexta numeroſæ ſobolis ferax eſt. *Semina* è quibus Apocynum hoc enatum, erant plana depreſſa nitidi caſtanei coloris, candidiſſima promiſſa lanugine prædita, Horum *folliculos* Apocyno Syriaco Cornutiano haud abſimiles eſſe ex fragmentis, quæ inter ſemina reperi, conjicere licuit. *Succo* gaudet viſcoſo lacteo acri amaricante & nauſeoſo. In fictili loco calido coli deſiderat.

APOCYNUM erectum *incanum latifolium Ægyptiacum floribus croceis. Apocynum Ægyptiacum lacteſcens ſiliqua Aſclepiadis*

 C. B.

C. B. P. Apocynum erectum majus latifolium Ægyptiacum flore luteo spicato. Breyni Prodr. 2. Beidelsar Alpini sive Apocynum Syriacum J. B. Beideloſſar Alpini Oſſar Hon. Belli & ex ejuſdem ſententia Haoſer ſeu Alaſer ſeu Albuſar Serapionis.

APOCYNUM erectum *incanum latifolium Malabaricum floribus ex albo ſuave purpuraſcentibus. Apocynum latifolium Ægyptiacum incanum erectum floribus magnis pallide violaceis Par. Bat. Prodr. Ericu Hort. Mal. Part. 2. VVaraghaba Zeyl.*

IN Horto Lugduno-Batavo dicitur *Apocynum latifolium Ægyptiacum latifolium incanum erectum floribus ſpicatis maximis pallide violaceis ſiliquis folliculatis rugoſis.* Tria verò Synonyma, quæ citato loco Apocyno huic aſſignata ſunt, nempe 1. *Apocynum Ægyptiacum lacteſcens ſiliqua Aſclepiadis C. B. P.* 2. *Beidelſar Alpini ſive Apocynum Syriacum J. B.* & 3. *Bedeloſcar Alpini in Lib. de Pl. Ægypt.* transferenda ſunt ad Apocynum

tium præcedens nonum; à quo hoc decimum solo floris colore differt.

Comelinus in notis *Hort. Mal. Part.* 2. falsò prodidit; *Ericu Beidelossar Alpini* & *Beidelsar Veslingi seu Apocynum Syriacum Corn.* unam eandemque plantam esse. Tres autem distinctæ plantæ sunt, prout in infra dicendis evidenter apparebit; proinde quæ *Comelinus* citato loco *Ericu* adscripsit quod nempe *in Belgicis hortis sit notissimum* quod ejus *folia quotannis intereant* & quod *radix instar lolii procurvat* ea nequaquam de *Ericu* sed de *Apocyno Syriaco Cornutiano*, quod decimum quartum in nostro ordine est, intelligenda sunt.

APOCYNUM erectum *incanum latifolium Malabaricum floribus omnino albis. Belericu Hort. Malab. part.* 2.

Copiose mihi occurrit in arenosis Insulæ Zeylan & Regionis Malabaricæ. In notis *Hort. Mal. part.* 2. scripsit idem commentator *Comelinus Belericu* vocari in Catologo Horti Regii Parisiensis *Apocynum Syriacum rectum caule viridi flore ex albido.* Et in Horti Amstelodamensis Part. pr. *Belericu* cum *Apocyno Majori Syriaco recto Cornuti* conjunxit. Utrobique vero peccavit quippe 1. *Apocynum*

cynum Syriacum rectum caule viridi flore ex albido Hort. Reg. Par. 2. *Apocynum Majus Syriacum rectum Cornuti* & 3. *Belericu Hort. Mal.* Generis communione quidem similes specie autem differentes plantæ sunt. Primum varietas est *Apocyni* secundi, Tertium vero varietas *Ericu.*

Hactenus nec *Ericu* nec *Belericu* in Horto Amstelodamensi viguerunt, quamquam utrumque à *Comelino* Catalogo ejusdem Horti insertum est.

Apocynum erectum *incanum latifolium Americanum floribus ex incarnato suave violaceis. Apocynum erectum majus latifolium Indicum flore concavo amplo carneo suave purpurascente Breyn. pr.* 2.

A*pocynum* hoc ex vulgi errore pro *Ericu* Hort. Mal. habetur à quo tamen specie distinctum est. *Ericu* enim incola est Indiæ orientalis imprimis Regionis Malabaricæ *flores* proferens ad caulium summitates sparsim congestos multo majores & pulchriores quam Americanum, majoris ex albo intensius pupurascentis; Hoc verò Americanum in Sirinama provenit estque partibus omnibus *Ericu* minus, *floribus* coloris ex incarnato dilutiùs violaceis pluribus simul quasi in *umbella* cumulatis,

tis, quamvis nonnunquam unicus duo tresve circa ramorum extrema conspiciantur. Aeris inclementiæ impatientissimum toto fere anno maxime vero rigente bruma in hypocaustis vitreis quàm diligentissime fovendum est.

Apocynum erectum *latifolium Americanum glabrum floribus longissimis tubulosis.*

Hujus *Apocyni* ramulo sicco ex Surinama delato nos donavit *Philippus de Flines.* Habebat longitudinem dodrantis cum semisse crassitiem calami; *Folia* ad genicula bina, ex adverso, glabra rigida nervosa quatuor transversos digitos lata, palmam longa, in mucronem desinentia; Circa extremum findebatur in breves aliquot *petiolos* (tredecim numeravi) sustinentes quinquifidos oblongos *calyces*, e quorum medio prodibat *tubus* tenuis septem uncias longus, qui in quinque segmenta tanquam *petala* se laxabat coloris purpurascentis, medium occupabant totidem *apices* longiusculi flavescentes. cætera nobis incomperta sunt.

Apocynum erectum *latifolium incanum Syriacum floribus parvis obsolete purpurascentibus. Apocynum latifolium Syriacum*

cum incanum erectum floribus umbellatis minoribus obsolete purpurascentibus siliquis folliculatis rugosis Hort. Lugd. Bat. Apocynum Majus Syriacum rectum Corn. Apocynum Syriacum forte Clusi. Apocynum rectum Americanum latifolium sive majus. Park. Beidsar VVeixii Clus. Beidessar Veslingi. Esula Indica Patavinorum Ger. Desor.

Habendam esse hanc plantam pro *Beidelsar* Alpini seu *Ossar Hon. Belli*, crediderunt *Clusius* & ab hoc persuasus *Casp. Bauhin*, qui in Pinace *Apocynum Syriacum* cum *Beidelsar* Alpini miscuit. His quoque assentitur *Rajus in Histor.* motus auctoritate *Veslingii*, qui in observat. ad *Prosp. Alpinum*, *Apocynum Syriacum* Cornuti pro *Beidelssar* Alpini depinxit & descripsit. Non obstante autem, quod *Weixius* (referente *Clusio*) *Apocynum Syriacum* circa Hiericho nascens ad flumen Jordanum observaverit; Tamen ab *ossar Belli* sive *Beidel ossar* Alpini multum differre *Cornutius* & *Parkinsonius* optime annotaverunt.

Idem hoc *Apocynum* est, quod *Comelinus* in Hort. Mal. part. 2. cum *Ericu* & *Beideloßar* Alpini atque in

in catalogo Horti Amstel. cum *Belericu* confundit, malè simul ibidem ab hoc *Apocyno Syriaco Americano* separans *Apocynum rectum latifolium Americanum Park.*

Variat hoc *Apocynum* pro varietate Climatis è quo defertur; Est enim *foliis* vel magis vel minus incanis; *Caulibus* nunc atropurpureis nunc viridantibus nunc incanis: *Floribus* in obsoleta purpura aut saturatioribus aut dilutioribus aut prorsus albis. Hinc præter illud *Cornutianum* innotuerunt.

APOCYNUM Syriacum *rectum caule viridi, flore ex albido Hort. Reg. Paris.*

APOCYNUM erectum Virginianum *caulibus & nervis foliorum puniceis Par. Bat. Pr.*

Enatum est in Horto Beverningiano seminibus ex Virginia illatis.

APOCYNUM erectum Noveboracense *foliis minus incanis flore ex obsoleto dilute purpurascente, An Apocynum erectum medium latifolium peregrinum flore umbellato ex obsoleto dilute purpurascente Breyn. Prod. 2.? An Apocynum rectum latifolium Novæ Belgiæ Comelin. Cat. Hort. Med. Amstel.*

Conspeximus in Horto Beaumontiano ex quo habuit *Comelinus*.

APOCYNUM erectum Canadense *angustifolium*. *Apocynum minus rectum Canadense Corn. Apocynum angustifolium Canadense viride erectum floribus rubicundis Hort. Lugd. Bat. Apocynum rectum Americanum angustifolium sive minus Park. Apocynum Americanum Asclepiadis folio; & Apocynum umbellato rubro flore Horti Hermans Joncquet. Hort.*

Siliquas fert erectas nunc ex uno calyce geminas nunc singulares.

APOCINUM erectum *Canadense latifolium*.

Ab *Apocyno* præcedente distinguitur potissimum foliorum forma & florum colore. *Folia* quippe multo sunt latiora & longiora, colorisque in viridi pallidioris. *Flores* rubent saturatius quam *in Apocyno Syriaco* Cornutiano, seu si mavis dilutius quam in *Apocyno* præcedente. *Stolones* ex nigro nunc purpurascunt nunc virescunt, ast parilis coloris in caule lusus Apocyno quoque præcedenti familiaris est. Hujus *semina* primum ex Canada postmodum etiam ex Noveboraco huc illata

illata ſunt. *Flores* ſub noſtro climate exhibet ſerius, *ſemina* raro aut nunquam perficit. Amat quodvis ſolum, ſeſeque multiplicat propaginibus ab radice reſectis. Huc forſan pertinet.

APOCYNUM erectum Virginianum *VVisanck, ſeu Vincetoxicum Indicum dictum Gerard.*

QUantum enim ex Icone à *Gerardo* propoſita animadverto, vel eſt idem *Apocynum erectum Canadenſe latifolium*, vel ejuſdem varietas. Qua vero ratione à *Rajo* in Hiſtor. *Apocyno Syriaco* & ab utroque Bauhino *Aſclepiadi* adjunctum ſit, non conſtat.

APOCYNUM erectum Canadenſe *humilius anguſtiſſimo folio Hort: Lugd-Bat.*

AB *Apocyno erecto Canadenſi anguſtifolio* ſola foliorum anguſtia cauliumque brevitate deflectit.

APOCYNUM Novæ Angliæ *ſubhirſutum radice tuberoſa floribus aurantiis Hort. Lugd. Bat. App. Apocynum erectum minus latifolium Americanum*

 flore

flore umbellato aurantio petalis reflexis radice tuberosa Breyn. Prod. 2.

APOCYNUM Corassavicum *seu Americanum fibrosa radice floribus aurantiis Chamænerii foliis angustioribus Par. Bat. Pr. & Pluckn. phyt. Apocynum erectum minimum angustifolium Americanum flore umbellato aurantio petalis reflexis Breyn. pr. 2.*

APOCYNUM Corassavicum *seu Americanum fibrosa radice floribus aurantiis Chamænerii foliis latioribus Par. Bat. pr.*

VTriusque *Apocyni Curassavici* flores, structurâ & magnitudine *Apocyno Novæ Angliæ tuberosa radice* adeo consimiles sunt, ut in solo colore differentia animadvertatur. *Apocyni* Noveboracensis *flores* unicolores sunt petalis f. segmentis singulis intenso aurantiaco colore tinctis; Corassivi vero bicolores sunt intermediis petalis erectis, dilute croceo seu aurantiaco flaventibus, externis vero deorsum inflexis fulgenti cocco splendentibus. *Caules* mox ab radice in multas alas divisi ad pedis altitudinem attolluntur ornati ad singulos nodos *foliis* ex opposito binis, ad *Chamænerium* seu *Lysimachiam* siliquosam quadantenus accedentibus, attamen


APOCYNUM
Americanum
Chamæneru folüs.
p. 36.

men glabris gracilibus magis mucronatis colorisque in viridi dilutioris. Speciei priori latiora sunt & longiora, posteriori vero angustiora & breviora. Ex singulis foliorum conjugationibus surgit petiolus biuncialis cui *flores* velut in umbellam sparsi insident, in singulis radiis in quos petiolus finditur, singuli. Floribus marcescentibus succedunt *siliquæ* ut plurimum singulares raro geminatæ erectæ siliquis *Asclepiadis* crassiores & breviores *seminibus* lanigeris velut in congeneribus refertæ. *Radix* numerosis fibris ab uno cespite prodeuntibus capillatur, novas subinde soboles emittens, quæ si transplantantur prompte adolescunt, Flores perficit Augusto, Semina Septembri. Amat solum fervidius solis radiis collustratum; Proinde mox ab ineunte autumno ad insequentem æstatem usque in hybernaculis custodiri expetit. *Succum* fundit lacteum, gustanti insipidum.

APOCYNUM erectum *fruticosum folio subrotundo glauco. Apocynum folio subrotundo C. B. P. Apocynum folio subrotundo floribus ex albo pallescentibus I. B. Periplocca latifolia Gerard. Apocynum latifolium non repens Park.*

Cætera *Apocyni* hujus Synonyma videantur in Pinace *Casp. Bauh.*

APOCYNUM erectum *Fruticosum folio subrotundo viridante.*

In Catologo *Hort. Lugd. Bat.* ut & in *Flora Batava* nomine *Apocyni recti Americani latifolii majoris Park.* quo DN. *Watsius* ex Anglia miserat perperam propositum est. Nam varietas est *Apocyni*, præcedentis a quo solo foliorum colore differt.

APOCYNUM Indicum *minus Nummularia folius Breyn. Ephem. Germ.*

In Insula Zeylan, ubi *Breynius* provenire scripsit, nobis non occurrit. Neque unquam in Horto Amstelodamensi apparuit, cujus Catalogo a *Comelino* insertum est.

APOCYNUM Virginianum *flore herbaceo siliqua longissima Mor. Præl. Bot.* APOCYNUM Canadense *maximum flore minimo herbaceo Hort. Reg. Bles & Cat. Hort. Reg. Par. Pluck. Phyt.*

Ico-

Iconem vide in *Pluck. Phyt.* descriptionem autem in *Moris. Præl. Botan.* Cui Adde, *siliquas* ferri ex uno *calyce* semper geminas propendentes mucrone coalescentes. *Radix* late serpendo multas propagines emittit, singulis annis ex radice repullulans. *Floret* sub finem æstatis, *semina* perficit exeunte autumno.

Hoc opinor idem illud Apocynum esse, quod *Joncquetus* in Horto vocavit *Apocynum erectum folio Esulæ raræ Venetorum?* Folius enim varie ludit. Alia Esulæ raræ Venetorum valde respondent, alia duplo aut triplo ampliora sunt.

APOCYNUM maritimum *erectum Venetum flore purpureo Hort. Lugd. Bat. Tithymalus maritimus purpurascentibus floribus C. B. P. Esula rara è Lio Venetorum Insula. Lob.*

APOCYNUM maritimum *erectum flore albo Hort. Lugd. Bat. Tithymalus maritimus, seu Esula rara è Lio Venetorum Insula flore albo Cat. Hort. Reg. Par.*

Ambas hasce plantas non *Esulis* sed *Apocynis* inscribendas esse evincunt *Seminea* lanigera in sili-

ſiliquis univalvibus anguſtis ſumma parte per longitudinem dehiſcentibus. Differunt inter ſe potiſſimum florum colore. Poſterior

APOCYNUM Americanum *foliis Androſami majoris, floris Lilii convallium ſuave rubentis Cat. Hort. Reg. Par. Apocynum Canadenſe foliis Androſami majoris Bocc. Ic. & Deſcr*

Frigus innoxie tolerat hoc *Apocynum* amans ſolum udum compactum, frequentem transplantationem ægre ferens.

APOCYNUM Zeylanicum *Indicum fruteſcens Nerii flore candidiſſimo.*

In ſolo Zeylanico ſabuloſo provenit hoc fruticoſum *Apocyni* genus, quod flexilibus ſuis & obſequioſis virgulis tam late varieque diffunditur, ut inter *Apocyna* erecta & ſcandentia medium locum obtinere poſſe videatur. Adoleſcit *caudice* craſſitudinis pollicaris nunc quatuor nunc plurium cubitorum altitudinis, *ligno* molli conſimilique medulla repleto, *cortice* glabro in fuſco rubente, cinereis lituris anguineo more maculato. *Radix* ſubeſt

albida

albida lignosa surculosa longo ductu summam tellurem perreptans. *Ramulos* undique luxuriantes ornant *folia* utrinque adversa *periplocæ* scandenti folio longo purpurante flore non multum absimilia glabra pinguia, parte superna saturate virentia, infernâ pallidula, numerosis venulis pulchrè cancellata, mucrone acuto deorsum flexo, magnitudinis valde inæqualis, sed quæ maxima sunt, nec digitum longitudine nec duos transversos latitudine excedunt. In ramorum apicibus laxior apparet *corymbus* ex octonis nonnunquam pluribus aut paucioribus oblongis acuminatis in viridi pallentibus capitulis congestus, quæ sensim & successive in *flores* forma & magnitudine *Nerio* æquales expanduntur; *Odorem* quidem singularem nullum præ se ferunt sed structuræ & immaculati *candoris* pulchritudinem tam eximiam ut à Zeylanensibus nomen *Iddaghas*, quod florem arboris denotat, *Apocynum* hoc meruerit.

Oblongi & tubulati sunt *flores* summa parte quinquepartiti e medio prominentibus quinque flavescentibus staminulis in conum coalescentibus cum quindecim parvis albentibus foliolis trilobatis, lobis singulis laciniatis quasique fimbriatis stamina ista coronæ instar ambientibus. Ex singulis demum florum caliculis demittuntur *siliquæ* geminæ digitum

tum longæ glabræ ab *Apocyno* Americano *Androsæmi* foliis *Bocc.* sola magnitudine deflectentibus. In his *Semina* continentur depressa membranacea flava lanuginosa velut in cœteris hujus fortis *Lacteo succo* viscoso acris mordacisque saporis turget. Florum quovis anni tempore ferax est.

APOCYNA *ex Horto Malabarico.*

APOCYNUM Malabaricum *erectum flore tetrapetaloide.* Parparam *Hort. Mal. Part. 9.*

NUm *Parparam Apocynis* sit annumerandum dubitat præter omnem rationem *Comelinus:* inquit enim in notis suis ad *Parperam: Si Parperam plenarie est descripta: vix inter Apocyna recenseri potest. Flos enim tetrapetalus est, Siliquæ vero cum* Apocynis *conveniunt; si flos esset pentapetalus & caules vel album vel viridem succum funderent, inter Apocyna numerari deberet. Ast ex descriptione hac non liquet.* Liquet autem evidentissime tum ex icone tum ex descriptione in *Horti Mal. Part. 9.* propositis, *Parparam* nulli plantarum familiæ nisi *Apocynorum* esse inserendum. In Icone enim exprimuntur *Siliquæ* univalves per longitudinem se aperientes; In descriptione vero edocetur *Semina*

mina ita esse disposita, ut se invicem scutellatim obtegant: & filis penicillatis filamento medio communi annectentur. h: e: *Semina* cum appendicibus suis lanuginosis imbricum more stylo nutritivo incumbunt. Constat autem neque flores pentapetaloides nec succum lacteum viridemve ut *Commelinus* opinatur; sed solam prædictam seminum in siliquis dispositionem notam *Apocynorum* characteristicam constituere.

APOCYNA *Asclepiades dicta. Asclepias flore albo C. B. P. Asclepias sive Vincetoxicum cum multis floribus albicantibus I. B.*

ASclepiadis hujus varietates duas in horto colui, quarum prima est *Cauliculis* tenuioribus lentis infirmis & deorsum flexis nisi baculo alligentur: altera est *Cauliculis* robustioribus rectà assurgentibus, nullo adminiculo egentibus.

ASCLEPIAS angustifolia *flore flavescente Cat. Hort. Reg. Par.*

QUod hoc nomine in horto nostro colitur *folia* habet æque lata ac præcedens, sed paulo breviora.

ASCLEPIAS *siliquâ bifido mucrone C.B. P. Asclepias Cretica Clusii J. B. Park.*

APOCYNUM Malabaricum *arborescens foliis quinis in orbem congestis* Pala *Hort. Mal. Part. 1.*

APOCYNUM erectum *Malabaricum frutescens Iasmini flore candido.* Codaga Pala *Hort. Mal. part. 1.*

FRequens est in Insula Zeylan, ubi *Wal Idda* id est flos Sylvaticus appellatur.

APOCYNUM Malabaricum *arborescens Nerii siliquis & semine floribus ex flavo rubescentibus.* Nelam pala *Hort. Mal. part. 9.*

APOCYNA *ex Antonii Rechii Historia Mexicana.*

APO-

APOCYNUM erectum *Tezcoquense Verbasci foliis, floribus variis,* Cenanam *Tezcoquensis seu Mater Spicæ Maizii Rech.*

COloris in flore varietatem probat *Columna*, in notis ad *Rechium*, inquiens. *In Rechii exemplari flores depinguntur coccineo colore ex Calycibus virentibus, altero vero ramulo basis coccinea, & flos insidens luteus.* Rechius autem *flores candentes* adscripsit. Idem *Columna* ad *Nerium vel ejus speciem referri posse* censet, folia *Lysimachiæ siliquosæ dictæ* comparans. *Terentius* inter *Periploceas* seu *Apocyna* reponendum esse rectissime conjicit. Rationes vide in ejusdem commentario. An planta sit erecta an scandens à *Rechio*, eodem monente *Terentio*, præteritum est. Si quæ conjectura ex Icone sit facienda, potius erecta censenda est.

APOCYNUM erectum *Tezcoquense Periplocæ angustifoliæ foliis.* Cenanam *Tezcoquensis Rech. Terent.*

PRæcedenti simile fecit *Columna* in notis ad *Rech. Cenanam* autem *De Quabuna hoac* quam idem

Columna Apocynis congenerem fecit, ad plantas bacciferas spectare videtur. Ei enim adsignavit *Terentius* baccas in unam congestas virides ut in *Solano*.

APOCYNUM erectum *Mexicanum tuberosa radice fructu spinifero.* Quaquahutzontic seu *Truncus sectus.* Quaquauhton *Rech. seu Truncus parvus.* Coatzontecomatl *seu Radix rotunda.* Huchueli caton. Yztacpatli *Hoitzocensibus seu candida Medicina Rech.*

APOCYNUM erectum *Mexicanum nodosum tuberosa radice folio salicis.* Yztacpatli *Rech. Terent.*

FRuctus in Icone expressus spinulis videtur armatus velut fructus proxime praecedentis. Ambo haec *Apocyna* ob spinosi fructus similitudinem forte subjicienda sunt *Apocynis* Africanis fructu villoso.

APO-

APOCYNUM erectum *Mexicanum Limonis folio purpurascente.* Tepezen-tli. *Spica Maizii Montani Rech.*

APOCYNUM Virginianum *Asclepiadis folio erectum floribus pallide coeruleis radice crassa. An* Moyotliayacatli *Rech? Pluckn. Phyt.*

TErentius hujus folia *Lilach* seu *Periploca* latifoliæ *similia* fecit & floribus *colorem rubrum* assignavit. *Radicis* formam nec in Icone nec descriptione expressit. Cœterum Icon *Rechii* cum Icone *Pluckenetii* consonat.

Apocyna NERIA *Dicta.*

NERIUM *floribus rubescentibus C. B. P.* *Nerium sive Rhododendron flore rubro J. B.*

NERIUM *floribus albis C. B. P. Nerium sive Rhododendron flore albo I. B.*

NE-

NERIUM *Indicum angustifolium floribus odoratis simplicibus Hort. Lugd. Bat.* Belutta-areli *aut* Fula Mestica *alba Hort. Mal. part. 9.*

NERIUM *latifolium floribus odoratis plenis Hort. Lugd. Bat. Nerium Indicum flore rubescente pleno Breyn. Prodr. 2.* Tsiovanna-aleri *vel Fula Mestica incarnata Hort. Mal. Part. 9.*

VTriusque *Nerii* Indici plenam descriptionem vide sis in *Hort. Mal. part. 9.* quam supple sequentibus: *Siliquas* profert erectas ex uno calyce geminas, quibus includuntur *semina* oblonga teretia in rusto flavescentia lanugine concolori cristata, imbricum modo duplici serie stylo intermedio adhærentia. Speciei priori *folia* sunt angustiora ad singula genicula ut plurimum bina sibi opposita; Speciei posteriori *folia* sunt latiora ad singula genicula terna. Utraque fundit *succum* limpidum flavescentem.

Comelinus in notis ad *Belutta-areli* prodidit, *Nerium* ab *Apocyno* discerni quod hoc sit herba, illud vero arbuscula sed cum *Apocyna* quædam frutes-

tescunt imo & arborescunt, differentia ista admittenda non est.

NERIUM Americanum *maximum folio longissimo nonnihil mucronato Par. Bat. prod.* Quam hutlepatles *seu Arbor ignea Rech.*

NERIUM Americanum *maximum folio longissimo obtuso Par. Bat. prod.*

VTrumque ex America sub Nomine *Nerii floribus luteis* odoratis in Belgium invectum est. Præter *folia* & *caulem* hactenus nihil protulit. *Illa* dodrantem longa sunt, lata pollicem, rigida numerosis transversalibus venis insignita. *Hic* pollicem crassius, duos pedes altus foliis absque ordine vestitus.

NERIUM Americanum *lactescens longissimo folio flore albo odoratissimo Hort. Beaumont. Cat.*

VAlde accedit ad *Nerium* præcedens, si non sit idem. Florem nondum protulit.

NERIUM Portoricense *crasso angustissimo folio.*

INter plantas siccas exoticas Amplissimi *Beaumontii* occurrit.

G NE-

NERIO *Similis arbor C. B. P. Nerii facie arbor J. B.*

NIsi obstaret tomentum quod arboris hujus seminibus adscripsit *Pena*, dixisses potiori jure *Palega pajanelli* & *Pajanelli Hort. Malab. part.* 1. quam *Nerio* congenerem esse. *Paja pajanelli* & *Pajanelli semina* sunt depressa menbranacea more imbricum in siliquis invicem incumbentia. Consimilem dispositionem habent semina *arboris Nerio similis*. *Siliquæ* enim, docente *Pena*, infarciuntur pelliculis cepaceis exuvium serpentis ementientibus, ast, quod difficultatem parit, tomentosis. Si igitur per tomentum intelligendum sit cauda lanuginosa, ut *Lobelius* uterque *Bauhinus* & alii intelligere videntur, utique *Neriis* non *Palapajanelli* aut *Pajanelli* annumeranda est.

NERIUM Mexicanum *Persicæ foliis siliquis luteis*. Mexochitl *seu* Omexochitl *Rech. Terentius* ad *Apocyna*, *Columna* ad *Nerium* referendum censet.

N*Eriorum* familiæ adscripserunt *Terentius* & *Jonstonius* Yecotli *Rech.* Hinc NERIO *similis arbor altera Jonstonio* vocatur. Ast fructus quos ipse *Teren-*

Terentius Bursæ Pastoris similes fecit, docent ad arbores *capsulatas* emandandam esse arborem istam Mexicanam.

VIX NERIUM *forte Apocyno congener* inquit *Terentius*, est Arbor illa Mexicana *Recchio* TETLATIA seu urens arbor Haitinis *Guao* dicta. At repugnat fructus, qui à *Nerio* & *Apocyno* valde alienus & *Recchio* ipso teste *Uredonis* forma & magnitudine est.

NEris quoque annumerat *Zanoni in Hist. Bot.* duas plantas Creticas quarum primam vocat *Leandro di Candia fruttifero majore fœtido*. *Mentzelius in Ind.* transtulit *Nerium Creticum fructiferum majus fœtidum*. *Rajus* in Hist. App. *Oleander minor frugifer fœtidus Creticus*. Alteram nominat *Leandro di Candia fruttifero minore fœtido*. *Mentz. in Ind.* vertit *Nerium Creticum fructiferum minus fœtidum* & Rajus *in Hist. App. Oleander Creticus fruticosus major fœtidus*. Istas autem plantas nequaquam ad *Neria* sed ad arbores bacciferas & forsitan ad *Periclymena* seu *Caprifolia* spectare, id evincere videntur florum forma & baccatorum fructuum dispositio. Huic sententiæ Calculum suum adjecit *Rajus* inquiens in *Historiæ plantarum*

appendice p. 1919. *Hanc* (denotans speciem majorem) *plantam esse existimo quam prope Scaleam in Regno Neapolitano inveni & postea siccam apud insignem Botanicum Job-Mariam Ferro Pharmacopæum vidi* Pericylmeni supini pumili *appellatione. Floris equidem forma ad periclymenum accedit, flos etiam summo fructus insidet ut periclymeno qui fructus qualis fuerit, in sicca discernere non licet, pyriformis tamen videtur & umbilicatus.*

APOCYNA *scandentia seu Volubilia*

APOCYNUM *Sive* Periplocca *scandens, folio longo flore purpurante* J. B. *Apocynum folio Oblongo* C. B. P.

APOCYNUM *Angusto Salicis folio* C. B. P. *Apocyni secundi species altera* Clusi.

APOCYNUM Scandens Ægyptiacum *Seseli os Æthiopici foliis angustioribus.* Secamone *Alpin. Libr. de pl. Ægypt. Phaseolus Indicus* IV. *Bont.*

IN Zeylona & Malabara mihi non occurrit hoc *Apocynum*, quanquam *Bontius* hujus mentionem inter stirpes Javanenses fecerit, Icone, quam pro-

posuit, ex *Alpino* deprompta. Hoc ab *Apocyni secundi specie altera Clusii* deferre, recte monuit *Parkinsonius*: *Bauhinus* in Pinace cum eodem conjunxit. Siccum ramulum absque floribus & seminibus misit ex Promontorio Bonæ Spei *DN. Oldenlandius* sub appellatione *Apocyni scandentis Africani foliis rigidis*.

APOCYNUM Scandens *fruticosum fungoso cortice Brasilianum*. *Apocynum Brasilianum amplexicaule fructu magno Beidelsaris Raji Hist.* Ibati *Marckgr.*

APOCYNUM Scandens *fruticosum fungoso cortice Sirinamense fructu magno pentagono* Pipu Simeron *Sirinam.* **Armen Duyvel** *vulgo*.

HOc à *Brasiliano* discrepat potissimum fructu. Quem ex *Sirinama* habeo *fructus* totus glaber est, magnitudine & forma ovi gallinacei coloris in flavo viridantis quinque membranaceis rigidis alis per longitudinem excurrentibus & in extremitate in parvum obtusumque mucronem coeuntibus, donatus. Huic magnitudine & colore

 similis.

ſimilis eſt fructus Apocyni *Braſiliani* ; aſt alis caret , harumque vice , referente Marckgravio , *exterius multis prominentiis inſtar aculeorum præditus eſt.*

APOCYNUM Scandens *Scammonii foliis latioribus & acutioribus. Apocynum latifolium amplexicaule* J. B. *Scammoniæ Monſpeliacæ affinis foliis acutioribus* C. B. P.

APOCYNUM Scandens *Scammonii foliis latioribus & acutioribus viridantibus* Fl. Bat.

Prioris varietas eſt.

APOCYNUM Scandens *Monſpeliacum Scammonii foliis rotundioribus. Scammonia Monſpeliaca foliis rotundioribus* C. B. P.

ADolevit ſeminibus Ulyſſipona illatis. Octobris initio floret , Semina rarius perficit.

APOCYNUM *Aſclepiadis folio flore nigro Hort. Lugd. Bat. Aſclepias nigro flore* C. B. P. *Aſclepias flore nigro quorundam* J. B.

APO-

APOCYNUM Scandens *Zeylanicum radice Asclepiadis. Apocynum scandens foliis Laurinis Par. Bat. Pr.* Manughawæl Zeyl.

LOcis aridis incultis Insulæ Zeylan obvium, & Incolis ob insignes *radicum* virtutes expetitissimum est. Hæ albidæ sunt prælongæ tenues fibrosæ, odore *Vincetoxicum* æmulantes, sapore subdulci moderate acri & sub finem non nihil nauseoso, ut proinde purgando pectori tota proprietate dicatæ sint, tussique quam stomachalem vulgus vocat in specie medeantur. Tenacem pulmonum mucum attenuant, acrem mitigant, & ad excretionem promovent. Decoctum & Syrupus puerorum alvum blande subducit & nonnunquam vomitum concitat. *Cauliculos* emittunt ramosos teneros longitudinem duorum triumve cubitorum superantes, nunc humi procidentes nunc vicina fulcra scandentes. Obducti sunt *membrana* duplici, quarum exterior tomentosa est, interior, quæ medullæ incumbit, velut cannabis in fila ductilis. Singulis nodis adnascuntur *folia* bina ex opposito duos pollices longa, unum lata, densa raris brevibus & lanuginosis villis quasi pube obsita, in summo obtusa e medio nervo nonnihil prominente. Ad horum sedes apparent *flosculi* in umbellam congesti parvi flaves-

vescentes, medio dilate purpurascentes in quinque segmenta dissecti: tabescentibus succedunt, *siliquæ* lanigeræ longæ angustæ utplurimum geminæ quæ ex *calycibus* quinquifidis, velut in Asclepiade propendent. Hactenus cœli nostri intemperiem adeo reformidavit hoc *Apocynum* ut Martio consitum pulchre quidem progerminaverit, ast Octobri sensim ingruente inclementiori aura, quantumvis ab hac diligentissime fuerit custoditum consenuerit & perierit.

APOCYNUM Scandens *Zeylanicum Scammonie foliis hirsutum.*

IIsdem natalibus, quibus antecedens, gaudet hoc Apocynum. *Radicem* habet vivacem pallide flavescentem fibrosam; *Coliculos* ramosos longos lentos volubiles, crassitie calami, velut Cannabis in fila ductiles. In singulis nodis *folia* ex opposito bina, cordiformia, Scammoniæ Monspeliacæ-rotundifoliæ foliis rotundioribus *C. B. P.* similia, ast paulo minora. *Flosculos* septem aut decem umbellæ effigie tenui digitali ramulo dependentes, parvos, è quinque segmentis pallide virentibus villosis crassiusculis & intermedio umbilíco pentagono candicante lucido, in mucronèm fastigiato, con-

conſtructos. *Siliquas* ex calyce quinquifido nunc ſolitarias, nunc geminatas pilis hirſutas mucronatas deorſum ſpectantes, longitudine uncias tres cum ſemiſſe, craſſitie unam, præcipue in medio ubi craſſiſſimæ, adæquantes. In his continentur *Semina* candida de more cœterarum, hujus familiæ specierum. Tota planta villoſa hirſutie obducta eſt lacteque acri ſcatet.

APOCYNUM Scandens *Africanum foliis Laurinis Lucidis glabris Par. Bat. Prodr.*

HOc Conſpexi Floribus viduum in Horto plantarum rariorum feraciſſimo *DN. Johannis Van Riedt* in quem illatum erat ex promontorio Bonæ ſpei. *Cauliculos* habebat cubitales graciles lentos glabros & ad ſingula genicula folia conjugata, digitum longa ſeſquipollicem lata, rigiduſcula Lauri foliis quadantenus ſimilia, in extremitate vero obtuſa, parte ſuperna coloris in viridi nitentis, inferna palliduli, multis tranſverſis venulis inſignita. *Radix* erat prælonga albicans fibroſa. *Lac* fundebat paucum fere inſipidum.

APOCYNUM Scandens *Vincæ pervincæ foliis viride fructu villoso.*

ABsque ulla difficultate adolevit seminibus à DN. *Oldenlandio* ex Promontorio Bonæ Spei transmissis. *Radicibus* est tenuibus albis longis repatricibus fibrosis, *Viticulis* lentis subhirsutis calamo tenuioribus, valde ramosis tres quatuorve ulnas longis pedementa quævis multiplici circumvolutione amplectentibus; *Foliis* ad singula genicula binis ex adverso *Clematidis Daphnoidæ* majoris facie, pollicem & amplius latis, unum cum semisse longis è basi sinuata in obtusum ambitum tendentibus, cum prominulo brevissimo mucrone, crassiusculis lucidis supina parte in viridi pallentibus multisque cancellatis venulis inscriptis; *Floribus* parvis albidis septem novem aut undecim in uno communi petiolo ex foliorum alis emergente, in umbellam congestis, unico petalo in quinque profundas crenas dissecto & intermedio pentagono concolori umbilico constantibus; *Calycibus* quinquifidis viridantibus magnitudine ipsos flores excedentibus ut *hos*, potius umbilicum, *istos*, flores dixeris. *Seminibus* nigricantibus de more lanuginosis in *siliquis* villis aculeorum instar armatis nunc singularibus nunc geminatis ex uno calyce, *Lacte* sca-

ſcatet acri amaricanti & nauſeoſo. Floruit Octobri menſe, ſecundo à ſatione anno, ſiliquis, dum hæc ſcribo, nondum maturatis.

APOCYNUM Scandens *Africanum Vincæ pervincæ foliis ſubincanum. Apocynum] ſcandens Africanum hirſutum Par. Bat. Prod.*

A Præcedente diſtinguitur, quod *Vitriculi* & *folia*, mox à tenera adoleſcentia, lanuginoſa rara quaſique ſenili canitie albeſcant. Coetera conveniunt. Auguſto menſe hujus anni floruit in Horto Dominæ *de Block*. ſtirpium rariorum feraciſſimo. *Fructus* nondum conſpexi. Eos priori non multum diſſimiles eſſe, conſimilis partium ſtructura indicare videtur.

APOCYNUM Scandens *Africanum Aſphodeli radice anguſtiſſimo folio* Oldenlandii.

HUjus *Radices* ab uno capite numeroſæ ceu glandes circiter octo vel ſeptem Aſphodeli modo coacervatæ deſcendunt, digitum craſſitudine, palmum excedentes, carnoſæ ſucco plenæ, in fibras inæquales exeuntes, guſtus primum ſubdulcis poſtmodum pungentis nauſeoſi, odoris vehe-

mentis hircini. Virgulas emittunt tres quatuorve viligineas prælongas, lignosas ramosas, tenues multiplicibus gyris vicina statumina involventes; Ad singulos nodos quadruplici digito intervallatos erumpunt *folia* bina ex opposito angusta *Pulegio cervino* seu *Satureja Virginianæ Horti Lugd. Bat.* non dissimilia, rigidiuscula leviter mucronata altera parte pulchre viridia, altera candidula nervo in longum porrecto insignita. Ex horum sede exit pediculus brevis, qui ubi in radios finditur quinis senisve parvis foliolis in orbem fusis circumvallatur, singuli radii sustinent *florem* monopetalum tubulosum urceolatum in quinque incisuras sectum Coloris intensissime miniati, quem delapsum excipit *sil.q a* Asclepiadis effigie incurva fuscis lanuginosis *seminibus* plena, è parvo quiquifido *calyce* propendens. Ita fere scripsit Ornatissimus *Oldenlandius* cum siccum hoc *Apocynum* ejusque iconem ex Promontorio Bonæ spei ad me mitteret. An lacte more congenerum turgeat, Additum non erat.

APOCYNUM Scandens *Corassavicum Satureja foliis.*

INter plantas siccas sumptibus & cura Amplissimi *Beaumontii* ex Corassavia delatas conspexi. *Foliis*

liis priori Apocyno brevioribus eſt, *Siliquis* quoque anguſtioribus & brevioribus, *Radice* pro plantæ magnitudine ſatis craſſa, *Flores* dignoſcere haud potui.

APOCYNUM Scandens *Americanum hirſutum flore amplo purpureo Pluckn. Tab.* LXXVI.

A*pocynum*. Scandens Africanum hirſutum *Par. Bat. Prodr.* ab hoc alienum eſſe, id ex ſuperioribus colligere eſt; An idem ſit? dubitat *Pluchenetius.*

APOCYNUM *Guineenſe mere Aphyllum flore albo tetrapetalo odoratiſſimo. Hort. Beaumont. Catal.*

C*Auliculos* fert glabros teretes viridantes lacte turgidos prælongos articulatos, *Foliorum* vice (in quantum hactenus apparuit) ramulos ad ſingulos articulos ex oppoſito binos & ex his alios atque alios quibus vicina ſtatumina ſcandit. *Flores* mihi hactenus non viſi, perhibentur tetrapetali albi odoratiſſimi *Gaſmini* æmuli. *Semina* lanuginoſa in *ſiliquis* longis anguſtis ex Guinea delata oſtendit DN. *Kiggelarius* rerum naturalium inſigni non tantùm copia, ſed & cognitione inſtructiſſimus, cujus indefeſſâ induſtriâ cariſſimum hoc Apocynum inter multas alias utriuſque Indiæ delicias in Hortis

amplissimi *Beaumontii* in hunc usque diem vernat.

APOCYNUM *Humile Aizoides aphyllum Africanum. Apocynum humile Aizoides siliquis erectis Africanum Hort. Lugd. Bat. Fritillaria crassa Prom. Bon. Ex. Stapelj.*

APOCYNA *Scandentia ex Horto Malabarico.*

APOCYNUM *Scandens Malabaricum fruticosum floribus Nerii caryophyllos redolentibus*, Belutta Kakakodi *Hort. Mal. Part. 9.*

APOCYNVM *Scandens Malabaricum, flore vario folliculis triplici costa insignitis* Adakodien *Hort. Mal. Part. 9.*

Apocynum *Scandens flore variegato siliquis Ericu similibus* vocatur à *Comelino* in Comment. *Hort. Mal.* At in siliquis *Adakodien* & *Ericu* notabilis est disparitas,

tas. Hoc, nempe *Ericu* filiquas habet in ſuperficie inæquales & rugatas & hinc inde lacunoſas, Illud, tribus pro minu- lis coſtis inſignitas, coetera glabras.

APOCYNUM Scandens *Malabaricum fruticoſum ſiliquis biſidis expanſis floſculis flavis omnium minimis.* Kakadodi *Hort. Mal. Part 9.*

APOCYNVM Scandens *Malabaricum ſiliquis ſingularibus floribus flavis ſtellatis.* Kudici Kodi *Hort. Mal. part. 9.*

APOCYNVM Scandens *Malabaricum ſiliquis ſingularibus floribus flavis ſtellatis abſque ſtaminibus.* Wallia palvalli *Hort. Mal. Part. 9.*

APOCYNUM Scandens *Malabaricum ſiliquis biſidis expanſis floribus minoribus viridantibus.* Katupalvalli *Hort. Mal. part. 9.*

In

In descriptione *Katupalvalli Hort. Mal.* dicitur: *Fructus ex uno flore in communi calyce proveniunt quinque.* At cum hoc in *Apocynis* nunquam contingat, locum istum ita corrigendum esse censeo: Nimirum unum florem sequuntur siliquæ gemellæ (seu unitum par siliquarum in uno calyce) duobus tribus aut quinque paribus ex uno communi pediculo (non calyce) dependentibus. Miror *Comelinum* commentatorem id non animadvertisse.

APOCYNUM Scandens *Malabaricum siliquis bifidis expansis floridantibus majoribus viribus umbone rubescente.* Nansjera Pasia *Hort. Mal. part. 9.*

APOCYNUM Scandens *Malabaricum siliquis bifidis longissimis & angustissimis floribus nonnihil villosis* Palvalli *Hort. Mal. part. 9.*

APOCYNUM Scandens *Malabaricum siliquis bifidis expansis floribus jasmini intus candidis extus rubris.* Kamettivalli *Hort. Mal. part. 9.*

APOCYNUM Scandens *Malabaricum siliquis bifidis expansis profunde liratis floribus viridantibus.* Watta Kakacodi *Hort. Mal. part. 9.*

APO-

APOCYNUM *Scandens Malabaricum filiquis ſingularibus floribus Ariſtolochiæ ad oras quinque partitis.* Niota nioden valli *Hort. Mal. part.* 9.

APOCYNA *Scandentia ex Hiſt. Mexic. Rechii.*

APOCYNUM Scandens *Michuacanicum diureticum Solani foliis. Mas* I. Tlallantlacuacuit lapilli *ſeu cauda parvi* Tlacuatzin *Rech.*

APOCYNUM Scandens *Michuacanicum diureticum. Mas* II. *Rech.*

APOCYNUM *Michuacanicum diureticum. Mas* III. *Rech.*

Hoc erectis *Apocynis* inſerendum eſſe judicare licet, tum ex imagine a *Rechio* propoſita tum etiam ex notis *Terentii, qui craſſiori è caudice erectum magis* eſſe aſſerit.

APOCYNUM Scandens *Michuacanicum diureticum Fœmina fructu parvo Peponi ſimili Rech.*

Tres priores ſpecies, quarum florum fructuumque ſtructura licet ex *Rechio* non conſtet, conjungendas eſſe cum ſpecie poſtrema nempe

Fœmina vel ex eo liquet, quod singulis unam eandemque naturam tribuerit *Rechius*, & ipse *Terentius* qui *Rechii* autenticum exemplar vidit, in suis notis fructum, quem Rechius *Fœminæ* adscripsit, tribus prioribus speciebus quoque communem fecisse videtur.

Cui vero plantarum generi quatuor istæ species annumerari debeant ipse *Terentius* ambigit. Nam in notis ad *Tacuache Tlallantlacuacuitlapilli* convolvulis miscuisse videtur, in notis ad *Tlallantlacuacuitlapilli* dubitanter proponit annon Mediæ inter *Cucumeraceam & Apocyni familias* statuendæ sint? inquit enim: *Lanugo illa argentea* (*quæ instar filamentorum sericeorum seminibus appendet*) *foliaque bina Apocynum petunt*, *cum in alio nullo volubilium genere reperiantur*, *at peponi similis in Apocyno fructus nunquam sed siliquæ duæ ex uno flore exortæ*. Igitur subjungit: *Quid si medias inter Cucumeraceam & Apocyni familias statueris?* Ego vero, non obstante fructu singulari haud gemino parvo peponi simili, quatuor illas species *Apocynis* annumerari debere nullus dubito. Primo enim *dispositio seminum* in fructu *Apocynis* est consimillima; Deinde *Apocyna* quandoque *siliquas* singulares quandoque geminas proferunt; postremo *fructus* externa facies (sive illa sit peponiformis sive

ſive folliculata glabra villoſa ſiliquata aliove quovis modo conſtituta) *Apocyna* deſignant; ſed ſola *ſemina* lanigera imbricatim in ſiliquis univalvibus diſpoſita, uti ſuperius annotatum eſt. Dulcedo quam *Rechius* radici tribuit nihil quicquam ſententiæ meæ derogare poteſt. Quippe *Apocynorum* ſapor in ſpeciebus ſingulis non eſt unus idemque. Licet in pleriſque ſit acris amarus nauſeoſus fauces & linguam inflammans, tamen in nonnullis ſubdulcis aut prorſus inſipiens deprehenditur. De *ſucco lacteo* flavoque cujus *Rechius* non meminit quid ſtatuendum ſit in ſuperioribus indicatum eſt.

APOCYNUM Scandens *Michuacanicum Catharticum Mas.* Tacuache *ſeu Radix Michuacanica Rech.*

APOCYNUM Scandens *Michuacanicum Fœmina Rech.*

APOCYNUM *Michuacanicum radice tenuiore Rech.*

Horum Apocynorum nullum *Mechoacannis* à *Monarde* propoſitis ſimile eſſe, id in annotationibus & additionibus ad *Rechium* rectiſſime

I 2 mo-

monuit *Fabius Columna*, taxans ſimul *Terentium*, qui tertiam ſpeciem pro *Mechoacanna Bryonide Monardis* habere videtur.

Demiror *Fabium Columnam*, qui in citatis annotationibus *Tacuache* ſpecies *Apocynis* annumerare dubitavit, cùm tamen ex *Rechii* deſcriptione perpenſis illis quæ de *Tlallantcuacutlapilli* nullibi aptius quam in familia *Apocynorum* collocari poſſe, manifeſto liquet.

An tertia ſpecies volubilis ſit aut erecta ex *Rechio* ægre dijudicatur. Nam præter plenariam deſcriptionem deeſt quoque Icon.

APOCYNUM Scandens *foliis Scammonii* Neicotlapatli.

Hujus fructificationem *Rechius* non prodidit. *Terentius* tamen inter *Apocyni* genera reponendum eſſe judicat.

APOCYNUM Mexicanum *Pyri folio*. Tepecuitlacotl *ſeu* Cuitlacotl *montana Rech.*

Neque hujus plantæ *fructum* deſcripſit *Rechius*. E *foliis* binis ex adverſo poſitis & ſapore acri *Apocyno* forte adjungi poſſe ſuſpicatur *Terentius*.

APO-

APOCYNUM Mexicanum *procumbens foliis obrotundis flore candente.* Tlaltzilocayotli ſeu Tzilacayotli *humile. Siliquaſtrum Mexicanum Rech.*

An hæc planta inter *Apocyni* ſpecies referenda ſit, incertum eſt, *Rechius* enim nec *florum* nec *fructuum* ſtructuram expreſſit. *Terentius* inclinat parti affirmanti, aſt ficulneis utitur rationibus quæ hic adſcribi vix merentur.

Veteres Græci in duo ſumma genera contraxerunt ARI ſpecies in Ἄρον ἐδώδιμον *Arum eſculentum,* & Ἄρον δρακόντιον *Arum Draconinum.* Poſteriores in Ἄρον ἥμερον *Arum ſativum* & Ἄρον ἄγριον *Arum ſylveſtre.* Recentiores in Ἄρον *abſolute Arum* & Δρακόντιον *Dracontium.*

Dioſcorides diſtribuit in Δρακόντιον, Ἄρον & Ἀρίσαρον, quibus quoque adjunxit, dummodo legitima ſint duo illa capita, quæ in quibuſdam codicibus Dioſcorideis extant, Δρακοντίαν μεγάλην, *Draconteam majorem* & Δρακοντίαν μικρὰν *Draconteam minorem.*

Arabes ſimiliter duo genera fecerunt *Luf* & *Luf ſerpentum.*

Plurium *Ari* generum *Plinius*, aſt non ſine confuſione, meminit

Galenus attulit *Ari* genus in *Cyrenaica* naſcens radice dulci, quod nonnulli à Cyrenaica & Ægypto uſque culinis Romanis importatum & modernorum *Colocaſſiam* eſſe ſuſpicantur, quamvis & hæc acrimonia, *Aris* communi, non careat.

Varia autem & intricatiſſima ſunt, quæ Priſci de ſpecierum iſtarum tum nominibus tum cæteris notis memoriæ prodiderunt. Nam neque inter ſe conveniunt neque ſpeciebus, quæ iſtis nominibus exhiberi ſolent reſpondent. Equidem non defuerunt & noſtri & ſuperioris ſæculi Doctiſſimi Viri qui in difficultatibus iſtis expediendis omnem ſuam operam impenderunt, quam irritam infectamque cum animadverterent horum cordatiores, vel veterum in tradenda ſtirpium hiſtoria negligentiam & fidem, vel propriam in iis agnoſcendis inertiam incuſare nullatenus dubitarunt.

Relictis igitur Veterum intricatiſſimis de *Aro* tricis, ſubjicere libet, quæ ſpecies noſtro & ſupe-

superiori sæculo sub nominibus *Ari, Arisari, Colocasiæ* & *Dracontii* innotuerint; & quibus notis a se invicem discernantur.

Singulæ sunt plantæ *Bacciferæ monopetalæ cucullatæ.* Floribus nempe ex oblongo convoluto, petalo cucullum mentiente & in intermedio stylo cornu genitale seu pistillum referente constructis.

ARUM

Absolute sic dictum

Hujus plurimæ varietates prostant nimirum.

1 ARVM *rotundiori folio maculis harumque colore in foliis conspicuis varium.* Arum *venis albis* C. B. *P.*

ARUM *venis albis lituris nigris signatum* Mor. Hort. Bles. Arum *venis albis majus nigris lituris maculatum* H. R. Par. *nigricantibus lituris aliquando purpureis signatum* C. B. Matth. Cum hoc congruit

ARUM

ARUM *vulgare folio ſubrotundo macula-tum maculis nigris* Jonquet. Hort.

ARUM *Vulgare folio ſubrotundo macu-latum maculis nigris ſpica violacea* Des Bertinieres Jonqu. Hort.

ARVM *Venis albis maximum Italicum* H. R. Par.

His Succedit.

11 ARVM *Vulgare foliis longioribus maculatum aut non maculatum*, hinc notatur.

ARUM *maculatum maculis candidis* C. B. P.

ARUM *Maculatum maculis nigris* C. B. P.

ARUM *Vulgare non maculatum* C. B. P.

Sequentium ſpecierum differentias ipſæ nomen-claturæ docebunt.

ARUM


ARUM
Zeylanicum
maximum

ARUM *Maximum*, *Macrorrizon Zeylanicum.*
Arum *Maximum Zeylanicum foliis nervosis* Par. Bat. Pr. Habara vel Habaraalla *Zeylon.*

Radix à *Colocasia Macrorriza* Alpini non multum abludit, carnosa namque est brachium crassa transversum acta foris flavescens intus pallida multis in superficie tuberculis & Zonulis quasi geniculis notata. *Folia* ex tuberculis coacervatim prodeunt. *Forma* quidem *Arum* æmulantur, ast longe ampliora sunt amplitudine *Musa* folia adæquantia validissimis prominentibus nervis firmata, & ad ambitum undulata læti pulcherrimique nitoris. Horum prælongi excavati pediculi, parte inferiori qua se invicem pressissime amplexantur in caulis speciem coalescunt, qui nonnunquam proceritatem trium pedum crassitiem brachii implet. *Flos* albicat & odorem suavissimum spirat. De cætero congeneribus respondet, solâ magnitudine exceptâ: Consimilem quoque habet temperamenti & facultatum harmoniam. Exit in Insula Zeylan ad fossarum margines, ut & in paludibus quæ æstate exarescunt. Prompte multiplicatur tuberculis ab radice avulsis & terræ insitis. Sub Belgico vero cœlo culturæ impatientissimum est, adventante enim hyeme etiamsi frigori subducatur flaccescit & pu-

trescit. Radicibus elixis siccatis & a volatili acredine vindicatis indigæ vescuntur velut cæteris *Ari* generibus.

Idem *Arum* videtur quod *Comelinus* in *Catal. Horti Med. Amstel.* nominat *Arum maximum Ceylonicum radice crassa longa rotunda geniculata Colocasiæ folio.* Welila *Hort. Malab. part.* 13. nondum editæ. Ast appellatio isthæc non arridet, Nostri enim folia nihil cum *Colocasiis* habent commune, sed forma ad *Arum* accedunt, pediculumque cui incumbunt non in medio sed extremo foliorum insertum habent.

ARUM *Africanum flore albo odorato* Par. Bat. Prod. Arum *Æthiopicum flore albo odorato moschum olente Hort. Lugd. Bat.*

Vix à sequenti *Aro Indico* discerpat nisi floris odore gratissimo. Abundat ad Promontorium Bonæ spei. Indigenæ radicibus ustulatis siccatis & acrimonia liberatis vescuntur.

ARUM *Indicum amplo flore* Moris Hort. Bles. & Jonq. Hort. Arum *Indicum bicubitale amplo flore* Mor. Hort. Bles. Delin. Arum *Indicum magno flore* H. R. Par.

ARUM

ARUM *Bizantinum Clusi.*

Vulgator Prodromi *Paradisi Batavi* falso inscripsit *Arum Lusitanicum majus folio auriculato.* Huc spectare videtur, cujus florem siccum in Horto Oxoniensi lectum, ad nos transmisit, Clarissimus Vir *Guilielmus Sherard* in Stirpium doctrina exercitatissimus Amicus plurimum æstimatus, nempe:

ARUM *Syriacum flore maculato.*

ARUM *Minus Matthioli.*

Ico *Bauhini* florem; *Matthioli* vero fructum exhibet.

ARUM *Zeylanicum minus Sagittariæ folio* Par. Bat. Prodr.

ARUM *Zeylanicum spinosum Sagittæ foliis.* Kohu Wila Zeyl.

Radicem in obliquum agit longam crassam multis quasi geniculis cinctam & quaquaversum aculeatis tuberculis exasperatam. *Folia* insident pediculis spinosis plusquam cubitum altis *Aro* vul-

gari longiora nullis maculis infecta, parte inferiori, quâ pediculus inseritur, auriculata, auriculis in longulum mucronem acuminatis. *Flos* consimilibus aculeatis pediculis incumbit, constans longissimo in carinam excavato & recto habitu sursum ascendente petalo ut & pistillo parvo crassitie & longitudine vix digitum implente, qui, ubi maturuit, in crassam & densissime compactam uvam extuberat. Provenit in palustribus & umbrosis Insulæ Zeylan. *Sapor* acris & mordacissimus est cum vehementi faucium adstrictione in recessu.

ARUM *Bifolium Ægyptium.* Arum *minus Ægyptium* Veslingii.

ARUM *Bifolium Arabicum maculatum* Ardabar *Matth. a Joseph.* Arum *Orientale* Ardabar *dictum* & *Raji* Arum *Indiæ Orientalis* Ardabar *dictum foliis securis instar maculatis. Mentz. Ind.*

Ob enormem & insolitam foliorum figuram suspectum conjicit Doctissimus *Rajus in Hist.* suspicionem autem tollit experientia nostra. Nam cum anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo Coutschinæ hæreremus, inter alia tum raritate tum singularitate elegantissima mirabilis hujus

jus plantæ folia ſicca conſpicienda nobis conceſſit *R. Pater Matthæus* Ordinis St. Joſephi Carmelita diſcalceatus, Vir ſane honeſtiſſimus omni prædicatione & fide digniſſimus. Idem ille eſt, qui ſuas quas de plantarum orientalium virtutibus conſignaverat obſervationes, in Hortum Malabaricum fideliter tranſtulit, & cujus plantarum Orientalium deſcriptiones & delineationes propria manu exaratæ in *Zanonii* manus inciderunt. Oriundus eſt laudatus *Mattheus* Neapoli non è Lombardia ut *Zanonius* in Hiſtoria ſua Botanica perhibet.

ARUM *Braſilienſe, anonymum, floſculis phœniceis elegantiſſimis folio unico Colocaſiæ Theatr. Braſil. Mentz. Ind.*

ARUM *Zeylanicum minus Colocaſiæ foliis pediculis punicantibus* Par. Bat. Pr. Ghahala *Zeyl.* Arum *Ceylonicum minus cauliculis nigricantibus foliis Colocaſiæ ſimilibus. Comel.* Cat. Hort. Med. Amſt.

ARUM *Zeylanicum minus Colocaſiæ foliis pediculis viridantibus.* Arum *Ceylonicum minus cauliculis viridantibus foliis Colocaſiæ ſimilibus. Comel. Cat. Hort. Med Amſt.*

Utriusque *Ari* Zeilanici folia formâ & lævore *Colacasiam* imitantur quanquam pediculi foliorum non inserantur.

ARUM *montanum Colocasiæ radice rotunda.* ARUM *montanum Alpini Exot.*

ARUM *trilobato folio* elatius & majus *Brasilianum.* Serpentaria *triphilla Brasiliana* C. B. Prodr. *& Dodart. Mem.* Dracunculus *minor Indicus Hort. Reg. Par. vaginula lineis dilute carneis & atro purpureis striata pistillo nigro* Jonqv. Hort.

ARUM *trilobato folio elatius & majus foliis latioribus.* Serpentaria *triphylla Brasiliana foliis latioribus & vaginula inferiore?* Jonqv. Hort.

ARUM *trilobato folio humilius & minus Zeylanicum.* Panualla *Zeylan.* Arum *humile* Arisarum *dictum latifolium Ceylonicum pistillo longissimo miniato colore. Comel. Cat. Hort. Med. Amst.* NelenSchena *Hort.*

ARUM *Zeylanicum trilobato folio humilius et minus* *p. 78.*



4.

Hort. Mal. part. 13. nondum edita. Serpentaria triphylla Zeylanica Breyn. Prodr. 2.

Locis opacis irriguis Insulæ Zeylan provenit pumilum hoc *Ari* genus, quod Zeylanensibus *Panuala* nominatur. Id nominis meruit a putridorum ulcerum vermiculis *Panu* dictis quos acris plantæ succus interimit. *Ala* idem est ac radix vel potius *Inhame* seu *Ignome* Lusitanorum, quæ vox ad quasvis radices tuberosas esui aptas extenditur. Est enim *radiculis* albidis tuberosis oblongo rotundis pluribus invicem cohærentibus avellanæ & nonnunquam juglandis nucis magnitudine, e quarum sede numerosæ crassiusculæ fibræ in terram descendunt. *Folia* prima pubertate emittit integra aro vulgari similia ast minora multo, per adolescentiam vero duplo aut triplo ampliora, & in duas tresve profundas lacinias quasi totidem folia dissecta. Insistunt hæc pediculis sesquipalmaribus, qui parte inferiori in profundam cavitatem sulcantur. E singulis radicum tuberculis prosilit foliacea convoluta *vagina*, sensim in mucronem turbinata, coloris extrinsecus herbacei cum intercursantibus rubescentibus striis, intrinsecus punicei holoserici

pulchre

pulcre nitentis. Hæc dum ſolvitur demonſtrat *Julum* Aro vulgari graciliorem brevioremque qui conſpiciendus ſic extat: Totus palmi longitudinem vix adæquat. Inferiori parte nonnihil intumeſcit & ſuave rubentibus parvis acinis concoloribusque molleculis citroſis ſtaminulis circumdatur; paulo ſupra contractior levior & tenerior & immaculato candore tinctus eſt; Media acinoſus grandiorque apparet roſeo colore pulchre nitens; Tandem in ſpicam deſinit productiorem longitudine digiti, levem glabram intenſe rubram quæ faciem piſtilli ſeu genitalis refert. Hæc, dum marceſcunt ſequuntur *baccæ* magnitudine & facie formicarum ovi haud abſimiles coloris albidi, *Ari* congenerum more inſtar *botrios* congeſtæ, binos oblongos arillos continentes, è quibus in terram nutricem procidentibus foliola *cochleariæ* paria progerminant.

Tota planta *guſtus* fervidi & mordacis eſt *Ari* & *Dracunculi* virtutibus reſpondens. Incolæ radices vel coctas vel ſole ſiccatas atque adeo acredine orbatas eſitant.

Hactenus in Belgio hoſpitari non didicit, nam vel leviſſimum frigus reformidans perit.

ARUM *aquaticum non maculatum Belgarum Jonq. Hort.*

An

AN ſit *Dracunculus paluſtris* ſive radice arundinacea C. B. P. an ab hoc diverſum? ex nomenclatura aſſequi non licet.

Forte *Ari* ſpeciebus ſubjiciendæ ſunt duæ illæ *Aninghæ Piſon.* Suſpicionem movent inter alia Flos, *qui ex unico folio carinato coloris pallide flavi, & intermedio ſtamine craſſo flavo conſtare* dicitur. Deinde Julus, *qui fructus illius eſt*, & in priori ſpecie *magnitudine & figura ovum ſtruthionis* ſeu ut in prima Piſonis editione extat, *Ananas* adæquat; *multis quaſi quadratis conſtans coloris viridis intus refertus pulpa alba humida*; In ſecunda verò, *oblongus craſſus compactus ac veluti granis & punctulis diſtinctus eſt, coloris primo viridis mox ex cinereo flaveſcentis*; Sane flos ille *carinatus* monopetalus cucullum, & julus utriuſque piſtillum baccis onuſtum non inepte referre videntur, quanquam alter contractior alter productior ſit. aſt difficultatem parit, quod nec *Margravius* nec *Piſo* acrimoniæ quæ *Aris* omnibus communis eſt, mentionem fecerint. Uterque inquit *fructus tempore neceſſitatis comedi*, & quod majus eſt, *utriusque Aninghæ radicem eſſe qualitatis frigidæ tenuium quoque partium & deobſtruentem.*

Priorem *Aninghæ* ſpeciem olim in horto *Fageliano* ſemine ex America delato enatam animadverti. Prima folia *ſagittariam* referebant cœtera *Aninghæ* prio-

L ri

ei simillima erant ea præsertim, quæ plantæ cauli adstabant. Hanc ob rationem in *Par. Bat. Prodr.* nominata est

ARUM *Brasilianum arborescens folio Sagittariæ*, debuisset addi *aquaticum* vel *palustre*.

ARUM *palustre Brasilianum*, *Anonyma Theatr. Brasil. Menz. Ind.*

AN hoc cum priori vel posteriori *Aningha* conveniat, an ab utraque differat hæreo, mallem tamen affirmare postremum, ex eo quod *Menzelius* in elencho Autorum quorum nomina in Indice abbreviata continentur, asserat, in Theatro rerum naturalium Brasiliæ (quod in Bibliotheca Electorali Brandenburgica asservatur) comprehendi eas quos *Cl. Piso & Markgravius* nondum ediderunt.

ARISARUM *forma* Arum mentitur sed partibus omnibus præcipue *flore* & *fructu* minus & gracilius est, hinc quoque nomen ἀρὶς & ἀρίδα per diminutionem, seu ἴον herba *Aro* similis [pro quo ἀρίσαρον inolevit] obtinuit. Quamvis nonnulli dubitent an ἀρὶς & ἀρίσαρον apud

priscos

priscos unam eandemque plantam denotent. *Pediculis* florum in plurimis speciebus nudis. Cæteræ notæ, quibus *Arisara* ab *Aro* & à se ipsis discrepent, id ex eorum cognominibus facile apparebit.

ARISARUM *Latifolium primum* Clusi. *Arisarum latifolium alterum* C. B. P. *Foliis longioribus.*

Hujus & Arisari angustifolii C. B. P. Synonyma à *Casp. Bauhino* in pinace, *Matthiolo & Taberna montano* tradita inter se non conveniunt. Differunt quoque scriptorum de hoc *Arisaro* icones.

ARISARUM *Latifolium alterum* Clusi. *Arisarum latifolium majus* C. B. P. *Foliis rotundioribus & amplioribus.*

ARISARUM *palustre radice arundinacea. Dracunculus palustris sive radice arundinacea* C. B. P.

ARISARUM *angustifolium* Clusi. Dioscoridis *forte.* C. B. P. *Fructu albo.*

ARISARUM *cum flore Myconi angustifolium* Hist. Lugd. *fructu rubro.*

ARISARUM *angustifolium aliud Promontorii magni* Grisley Virid Lusit.

ARISARVM *Hercyniæ Thalii.* Quid sit, ignoratur.

ARISARVM *foliis longis angustissimis gramineis flori succedentibus* Mentz. Pugil. An *Arisarum gramineo folio promontorii magni Grisley Virid.* Lusit?

ARISARVM *angustifolium minimum* Bocconi.

ARISARVM *Potamogeti folio.* Boccon.

ARISARUM *triphyllum minus pene atrorubente* Bannist. Cat. plant. Virgin. Raj. *Arum triphyllum minus pene atrorubente Virginianum* Pluck. Phyt.

ARISARVM *triphyllum pene viridi* Bannist. Cat. plant. Virg. Raj.

ARISARVM *Dracontii foliis pene longo acuminato* Bannist. Cat. plant. Virg. Raj.

ARI-

ARISARUM *fluitans pene nudo Virginianum* Banist. Cat. Manuscr. & *Arum Moschatum ophioglossiodes pene nudo Jamaicense*. An melius *Ophioglossum Moschatum Jamaicense Limonii in extremo sinuatis* Pluck. Phyt.

COLOCASIA ab *Aro* distinguitur *Foliis* umbilicatis lævibus nullis maculis aut lituris infectis; *pediculis* non in extremo velut in *Aro* sed pene in folii medio, ubi umbilicus est, more Cotyledonis se inserente; *Floribus* nunc singulatim nunc pluribus ex uno folliculato pediculo egredientibus; *Stilo* intermedio *Aro* crassiori & breviori in tenuem mucronem gracilescente.

COLOCASIA *strongylorrhiza* Alpin. Exot. *Arum maximum* quod vulgo *Colocasia* C. B. P. *pediculis viridantibus*.

COLOCASIA *stongylorrhiza Zeylanica pediculis & limbis foliorum atropuniceis*. *Arum maximum Ægyptiacum*, quod vulgo *Colocasia cauliculis nigricantibus Zeylanica*, Hort. Lugd. Bat.

A priori differt pediculis & limbis foliorum nunc puniceis nunc atropuniceis nunc prorsus atris.

COLOCASIÆ si non *Aro* subjiciendæ videntur tres species *Tajaobæ Markgravii*, ut & quarta, quam *Piso* adjunxit. Hic quatuor hasce species, quod à Brasilianis inter olera recipiantur, communi nomine *Brassicas* vocat singulorum tamen appellationes Brasilianis usitatas apponens. Conjecturam juvat præter *foliorum* & *radicis* formam in iconibus expressam & *Colocasiis* non adeo dissimilem descriptio tertiæ speciei *Markgravii*, nempe quod *flos* sit longus constans unico *folio* per mediam longitudinem secto & velut in scapham excavato, ut & *stamine* cylindraceo fastigiato, crassitie pennæ anserinæ, longitudinis paulo majoris duorum digitorum ac semis brevibus villis luteolis vestito. Sane folium illud longum in scapham excavatum & stamen fastigiatum non inepte cucullum cum pistillo referre videntur. Quatuor istas species, quod à Brasilianis inter olera recipiantur, communi nomine *Brassicas* vocat *Piso* singularum tamen appellationes specificas Brasilianis usitatas apponens. Quas ni conjectura me fallat sic appellari posse opinor:

COLOCASIA *Brasiliana lactescens latifolia caule fusco.* Tajuoba *Pison.* & *Markgr.*

CO-

COLOCASIA *Brasiliæ lactescens latifolia caule viridi*. Mangaræ petuna *Pison.*

COLOCASIA *Brasiliana non lactescens sagittæ foliis angustis*. Tajaobo vel Mangaza miri *Pis.*

COLOCASIA *Sylvestris radice caustica*. Tajaobo *Sylvestris*. Tajobaraon *nonnullis* Majara braya. *Pison.*

DRACONTIUM Dracunculus, Serpentaria, Colubrina, Dracunculus *polyphyllus* Arum *polyphyllum Arum draconinum* dictum, à cœteris hujus sortis differt potissimum *foliis* multifidis, profunde & varie insectis. Hujus species sequentes detectæ sunt.

DRACONTIVM *majus* Ger. *Dracunculus polyphyllus* C B. P. *Arum polyphyllum Dracunculus & Serpentaria dictum caule maculato majus & elatius* Hort. Lugd. Bat. *Foliis viridantibus.*

DRACONTIVM *majus caule maculato foliis ex luteo variegatis* Hort. Reg. Par.

DRA-

DRACONTIUM *majus caule glauco immaculato. Dracunculus polyphyllus major Indicus serotinus immaculato caule* Hort. Reg. Par. *Dracontium polyphyllum caule non maculato* N. D. Hort. Lug. Bat. Raj. Hist. *Dracunculus polyphyllus alter medius caule glauco nullis variegato coloribus, foliis vaginulam nondum cruentatam cingentibus corollæ instar, Ari vulgaris flore.* Jonqv. Hort. *Arisarum Serpentariæ majoris folio viridi flavescente?* Horti Hermans. Jonq. Hort.

Ico quam autor *Hist. Lugd.* nomine *Dracunculi* sive *Serpentariæ* majoris *Dod.* proponit non inepte referre videtur hoc *Dracontium.*

DRACONTIVM *caule immaculato minus & humilius. Arum polyphyllum Dracunclus & Serpentariæ dictum caule non maculato minus & humilius* Hort. Lugd. Bat.

Hujus *caulis* proceritate partim cubiti longitudinem excedit, *coloris* in glauco viridantis absque ullis maculis, Cœtera *Dracontio* majori *Ger.* quod primum in ordine est, conveniunt. Viget in *Horto Lugduno-Batavo* ex Galliis invectum.

DRA-

DRACONTIUM *Zeylanicum ramoso folio caule ex viridi & flavo variegato aspero.* Kidaram *Zeyl. Serpentaria polyphylla Indica caule maculato aspero* Breyn. Prodr. 2. *Arum polyphyllum Dracontium & Serpentaria dictum folio ramoso Pæoniæ instar caule aspero Zeylanicum* Par. Bat. pr. *Arum polyphyllum Dracunculus & Serpentaria dictum Ceylonicum caule aspero cum maculis viridi fuscis & viridi dilutis albicantibus pulchre notatum majus & elatius* Comel. Cat. Hort. Med. Amst. *Mulen Schena* Hort. Mal. part. 13. nondum editæ.

Huic non absimile genus in aggeribus & fossarum marginibus Insulæ Zeylan observavi. quod ob parvum magnitudinem nominare libuit.

DRACONTIUM *Zeylanicum ramoso folio maximum.*

Caules omnes trichotomi erant nempe in tres ramos & hi rursus in aliquot foliaceas alas divisi, quas longuli & in margine sinuati fimbriati-

quæ lobi pinnata serie cingebant. *Flos* cœteris speciebus quidem brevior sed multo amplior & speciosior non in mucronem sed obtusum ambitum desinebat, parte media qua in latitudinem pandebatur quasi auriculatus, auriculis diversimode laciniatis & perpulchrè fimbriatis florem corollæ instar ambientibus. *Color* intensè purpurascebat albis hinc inde maculis & lituris undulato flexu variè diductis elegantissimè exornatus. *Pistillus* in flavescentem & densè congestam uvam exibat, qui quo cœteris longitudine inferior eo quoque crassitudine superior erat.

DRACONTIUM *Zeylanicum ramoso folio caule ex viridi & albo variegato levi. Serpentaria polyphylla Indica caule maculato levi* Breyn. Prodr. 2. *Arum polyphyllum Dracontium & Serpentaria dictum folio ramoso Pæoniæ instar caule levi* Par. Bat. pr. *Arum polyphyllum Dracunculus & Serpentaria dictum Ceylonicum caule glabro viridi diluto maculis albicantibus notato majus & elatius* Comm. Cat. Hort. Med. Amst. *Schena* Hort. Mal. part. 13. nondum editæ.

Valde

Valde congruit hæc planta descriptioni *Serpentariæ majoris seu Dracunculi majoris* Lusitanis *Erva de St. Maria* dicti *Marckgr.* & *Pis.* Dubitationem tamen moveant *folia*, quæ plus quam *Hieracii* aut *Chondrillæ* folia exsecta esse *Marckgravius* scripsit; Nostri autem *Dracontii* folia composita, verius decomposita sunt & ramosa pinnis seu lobis rarius laciniatis costas & ramos alarum instar amplexantibus. At vero ambiguitas tollitur, si integer ramus pro folio sumatur. Hic enim utique in pinnas seu lobos dissectus dici potest.

Ico quam *Piso* in posteriori editione sub prædicta appellatione exhibuit deprompta videtur ex *Historia Lugdun.* exhibens potius *Dracontium* quod in ordine nostro tertium est.

DRACONTIVM *Mexicanum.* Hoacaxochil *Hern.*

Hujus descriptionem *Hernandes* non attulit. *Fructus* non in caule qui folia fert, sed in singulari pediculo juxta caulem e radice egrediente pinguntur. *Caulis* abit in septena *folia.* *Radicem* Aro similem facit *Terentius.*

Huic subjicit quoque aliam speciem *Hernandes* nomine *Hiuca* seu *Mizmaitl* Dracontium quoad

picturam referentem, quæ si ex hujus familia sit vocari meretur.

DRACONTIUM *Mexicanum aromaticum.*

De hac planta dicit Terentius: *Aromatica est, cortice præsertim & fructu, caulis nitidus ad colorem tendit castaneum, folium septifariam partitum habet. Uva ex albo ad flavum tendit; admodum similis est majori Serpentariæ si baccæ essent rubræ.* Subdit tandem: *Monardes vocat Cassavi.* At vero *Cassavi* seu Americanorum panis de quo Monardes scripsit fit ex radice *Mandi*, *Marckgr.* & *Pison*, quæ ab *Hiuca* seu *Mizmaitl* diversissima est, ut icones & descriptiones conferenti sponte apparebit. Interim dubitandum non est, quin ex hujus quoque plantæ radice *Cassavi* apud Mexicanos paretur, tum quod eodem nomine scilicet *Hiucca* seu *Tucca*, quo Mexicani *Cassavi* seu panem ex radicibus paratum exprimunt, vocetur, tùm quod ex omnibus *Dracontii Colocasiæ* & hujus sortis radicibus simile quid *cassavi* vices supplens conficiatur. Hanc ob rem sequens Dracontium *Rumphal* Marth. à Joseph vulgo *Ignome* (*Igname*, *Inhame*, quæ vox radicem esui aptam denotat, appellatur. Visum est nobis vocare.

DRA-


ARUM
polyphyllum
caule scabro
punicante etc.

DRACONTIUM *Orientale folio quinquifido.* Rumphal *Matth. à Joseph. &* Consal Vincent. *Zan. Hist. Bot. Arum Indicum* Rumphal *dictum Raj. Hist.*

Dracontiis Zeylanicis ramoso folio adjungendum est *Dracontium Americanum*, quod laudabili cura Strenui & nullis sumptibus parcentis Viri *Simonis a Beaumont* ex Sirinama in Belgium invectum est, dictum

DRACONTIUM *Americanum scabro puniceo caule radice Cyclaminis. Arum Surinamense caule atro rubente & eleganter variegato* Hort. Beaumont. Cat. *Arum polyphyllum Dracontium dictum caule scabro punicante Sirinamense* Par. Bat. Prodr.

Hujus *caulis*, qui innumeris è nigro puniceis parvis tuberculis exasperatus & intermicantibus albentibus maculis pulcherrimè expictus est, squamosum & versicolor anguinum corpus apposite repræsentat. Prosurgit ad altitudinem cubiti nunc simplex nunc statim ab exortu bipartitus, pollicem crassus, vertice in tres nonnunquam in quatuor partito *frondes*, qui in quinque aut sex alios minores subdivisi & ad costas lucidis atrovirentibus

bus *foliis* Dracunculo vulgari minoribus, inæqualiter sectis absque petiolis alarum instar vestiti sunt. Caule elanguescente, altera radicis parte egreditur *cucullus* totus nigricans cœterisque speciebus longe contractior crasso brevique pediculo fultus involvens concolorem pistillum crassitudine duos pollices longitudine vix semidigitum adæquantem qui quaquaversum crassiusculis puniceis staminulis in angustissima colostina quasi plumosa foliola fatiscentibus ornatus est. *Radix* subest tuberosa in fusco punicea forma & magnitudine *Cyclaminis*, multis ad ambitum tophis obsita eaque parte qua cucullus emergit aliquot in longum porrectas fibras demittens. De *fructibus* nihil habeo compertum. An hoc sit *Arum triphyllum, Dracunculus & Serpentaria dictum ex Sirinama caule atro rubente.* Comel Bat. Hort. Med. Amst. affirmare vix audeo. Illud affirmo, quod, dum *Dracontium* nostrum pullulare incipit, caulium extremitates primum in tres ramos quasi totidem folia findantur, postmodum in quatuor ramus plures dividantur.

DRACONTIUM *Zeylanicum spinosum Polypodii foliis radice repente.*

R*adicis* & pediculorum quibus flos & folia nituntur, aculeato habitu, *Aro* Zeylanico spinoso

p. 95.



noso superius proposito convehit, Gaudet quoque consimilibus natalibus & virtute. *Folia* vero pinnata sunt instar *Polypodii* insecta, sed multo ampliora. *Florem* conspicere non licuit, *Aro* vero supra dicto haud disparem esse vel consimilem pistillus qui velut arum istud in uvam terminatur confirmare videtur.

ASTER *Novæ Angliæ Linariæ foliis Chamameli floribus.* Aster *Americanus multiflorus flore albo bellidis disco luteo* DN. de *Flines* Schol. Bat. Hort. Reg. Par. *Tournefortii & Plukenetii Phytograph.* Aster *Virginianus frutescens minor ericoides, linariæ folio flore albo parvo* Breynj. Prod. 2.

Crescunt ex *radice* vivaci, quæ ex innumeris tenuissimis repentibus fibris capillata est, *folia* per initia numerosa glabra saturate viridia angusta *Linariæ* æmula digitum longa & in mucronem extenuata, quæ dum flores apparere incipiunt marcescunt & penitus disparent. Inter ea attolluntur *caules* altitudinis plusquam sesquicubitalis crassitie calamum scriptorium adæquantes nonnunquam excedentes duri & propemodum lignosi,

ſi, annis tamen ſingulis intercidentes. Hi dividuntur in multiplices ramos maxime circa ſummitates in quibus tanta copia luxuriant, ut integram ſylvam conſtituere videantur. *Folia* quæ de more *Aſterum* absque petiolis alterna ſerie caulibus hærent magnitudine & diſpoſitione inſigniter diſcrepant. Ima namque & quo terræ propiora, eò latiora productiora & longius ab invicem diſſita ſunt, remotiora vero & quæ ramulorum cacumina veſtiunt denſius congeſta contractiora *Ericæ*que foliis ſimillima apparent. Apices ramulorum ſinguli exeunt in longula ſqvamoſa capitula, quæ ſe. in florem pandunt *Bellidi* ſylveſtri minori verius *Chamæmelo* ſimilem petalis ſcilicet albis & intermedio flaveſcente orbiculo in pappoſum *ſemen* fatiſcente.

Patriam, culturam, indolem & florendi tempus cum *Aſtere* ſuperiori habet commune. Uterque vero in florentiſſimo horto laudatiſſimæ Dominæ *de Block* primum educatus eſt.

ASTER *Novæ Angliæ purpureus Virgæ aureæ facie & foliis undulatis.*

Eo quod hujus plantæ *flores* in prolixas ſpicas velutique jubar longa denſiſſimaque ſerie congeſti


p.96.
ASTER
Virgæ aureæ facie
foliis indulatis.

gesti sunt, dubitavi an ad *Asteres* an *Virgas aureas* reducenda esset, ast cum flores præcipuis notis ad *Asteres* propius quam *Virgas aureas* accedere videbantur, libuit prius eligere & hanc *Asterem* cognomento *Virgæ aureæ* appellare.

Radicem habet vivacem & repentem, ex cinereo in fuscum tendente fibratam, è qua exeunt *cauliculi* complures sesquipedales & certe majores durtiusculi infra leviter purpurascentes in progressu vero viridantes, crebros ramos de se spargentes. *Folia* pallidula sunt, undulata, elata cordata basi in modicum acumen desinentia. Ima, quæ primis æstatis caloribus è radice proficiscuntur, longis sulcatis petiolis insistunt, & magnitudine *Asterem* latifolium autumnalem *Cornuti* quadantenus æquant, ast rotundiuscula sunt, subhirsuta & in ambitu levissimè crenata: Cætera multo minora sunt asperiuscula rigida ad margines integra atque cauliculis sine ullis petiolis perfoliatæ instar juncta. Cultura operosa quidem non indiget hic *Aster* sed per radicum excrescentias velut superior conterraneus ejus propagatur, tamen naturæ tenerioris est & hyeme, acrius stringente bruma, stragulis contegendus est, ut subsequente æstate numerosiore prole repullulet. Sub finem Septembris fastigiantur caules in *spicas* dodrante nunc longiores nunc breviores quos

pulchrâ numerosâque ſerie exornant *flores* prominulo in ruffo flavescente disco purpureisque radiis *Aſteri* Tripolii flore adeo conſimiles ut ſola parvitate ab his diſcriminentur. Superiores tum dehiscunt, inferiores langueſcunt velut in pleriſque floreis ſpicis uſu venit. Diſcus reſolvitur in pappum e pallido pauliſper ruffeſcentem.

ASTER *Novæ Angliæ altiſſimus hirſutus floribus ampliſſimis purpuro-violaceis.* Aſter *Novæ Angliæ hirſutus floribus majoribus ſaturate violaceis* Dominæ de Flines. Turnef. Schol. Bot. Hort. Reg. Paris.

Quamvis hoc *Aſteris* genus floream ſuam comam ſerius & longe poſt æquinoctium autumni apud nos explicare incipiat, ob *florum* tamen amplitudinem & venuſtatem coeteris ſuæ ſortis minime poſtponendum eſt. Hi namque inopiam hybernorum florum ſupplentes, in caulium ramorumque faſtigiis eo numero & ſerie diſponuntur, ut non ſimplices flores, ſed artificioſe contextum faſciculum mentiri videantur. Constructi ſunt ex prominulo flaveſcente umbone numeroſisque longulis petalis in orbem diradiatis violaceo colore ſplendidiſſime purpuraſcentibus. *Caules* hominis

p. 98



minus proceritatem superant rarisque lanuginosis pilis præcipue parte inferiori pubescunt, & à medio ad summum usque in complures ramos quorum supremi brevissimi sunt se expandunt. His circumstant *folia* mollia undulata sesquidigitum longa pallide virentia è latiuscula auriculata sede in mucronem gracilescentia quorum auriculæ ita inter se connivent, ut eminus conspicienti à caulibus perfecta videantur. *Radix* vivax est, ex crebris fibris ab uno capite descendentibus & in longum sparsis compacta, annisque singulis folia & caules, quæ duo hyeme intercidunt, renovans. *Semina* velut in reliquis hujus familiæ pappescunt. Brumam rigidiorem innoxie tolerat & licet per radicum soboles avulsas in quovis solo prompte multiplicetur, lætius tamen multo adolescit, floresque plenius & maturius perficit, si loco horti solis meridiani radiis exposito implantetur.

Hic *Aster*, semine ex nova Anglia illato, primùm educatus est a DOMINA *Agneta* de *Block*, SPECTATISSIMI DOMINI *Sybrandi* de *Flines* conjuge honestissima, stirpium omnium imprimis exoticarum cultrice & indagatrice sine exemplo studiosissima, cujus eximia liberalitate postmodum in aliorum hortos transiit.

Consimilem ortum sibi vendicat quoque sequens

varietas, caulium proceritate florum colore & dispositione priori simillima, deflectens tantum *ramis* in caulibus rarioribus; *foliis* angustioribus & mollius undulatis, *auriculis* amplioribus altiusque incisis & *floribus* paulo minoribus.

ASTER *Novæ Angliæ altissimus hirsutus alter, floribus nonnihil minoribus.*

ATRIPLEX *Argentea dentata Cornusfarbita.*

Plantæ quas *Atriplices* vocant Herbarii, in duo summa genera distribui possunt. Utrique post *floris* staminei herbaceique exanthesin *semen* quidem singulare est, sed duobus modis dispositum. *Semen* enim prioris generis involvitur tenuissima pellicula tanquam exiguo subrotundo rugoso & anguloso vasculo in summo aperto; posterioris vero reconditur intra duo conniventia foliola depressam quasi theculam monstrantia.

Cum *Atriplice* miscent nonnulli scriptorum genuinas quasdam species *Bliti*; hasque rursus confundunt cum legitimis *Amaranthis* non capientes genericas harum plantarum notas esse diversas. *Blitum* enim post herbacei stamineique floris defluvium perficit *semen* unicum in vasculo oblonge acumi-

p-100



minato orbiculatim seu ut Botanici loquuntur horizontaliter in duas partes dissiliente, *Amaranthus* autem post florem pentapetaloidem stamineo affinem, consimile fert vasculum ast *seminibus* pluribus & plerunque quaternis refertum, uti supra in expositione *Amaranthoidum* indicatum est.

Ad *Atriplicem* prioris generis pertinet hæc Americana, quam nunc describendam suscepimus. Tota *Halimi* instar candicat, & quasi argenteo splendente polline conspersa ad solem lucet. Pingui & apposito solo insita ad duorum pedum altitudinem adolescit crebris brachiata *ramis* adeo infirmis, ut plerumque resupini procumbant & humi fundantur. *Folia* atriplicem odoratam *Botrys* dictam quadantenus æmulantur, ad ambitum scilicet dentata sinuata & nonnihil undata. *Flosculi* staminei sunt herbacei perexigui nudis oculis vix conspicui, conferti velut in brevissimis racemulis, qui summo caule & ramulis è foliorum sede egrediuntur. Hos sequuntur *semina* minutissima tenuissimis rugosis vasculi pelliculis pro congenerum more tecta *Radix* pallida est aliquot fibris capillata & annua, quæ è delapsis seminibus annuatim sese renovat. *Odore* & *sapore* nidoroso cœteris suæ sortis respondet. Nec dubitandum est quin conveniat quoque facultatibus. Legimus in Horto Fageliano.

N 3 Huc

Huc pertinet.

ATRIPLEX *Americana, lanuginosa foliis phylli, seu Origani incanis*, iconem *Pluckenetius in Tab.* 75. proposuit sub nomine *Amaranthi Indici verticillati albi Origani foliis lanugine incanis*.

BALSAMINÆ nomine duo genera inter se diversa a Botanologis proponuntur. *PRIMUM* Pomiferum est, & scandens; *Viticulis* clavicularis; *Foliis* alternis vel integris, vel lobatis, lobis nunc magis nunc minus profundis, *Floribus* in quinque plerumque segmenta uniformia divisis; *Fructibus* vel majoribus cucumerinis vel minoribus baccarum instar, utrisque *vel* levibus *vel* verrucosis scabris aut hirsutis; *Seminibus* magnitudine forma & dispositione variis. *ALTERUM* capsulatum est & non scandens; *Capsulis* communiter pentagonis per maturitatem, in totidem partes sese contorquentes, dissilientibus, *Seminibus* subrotundis; *Floribus* monopetalis difformibus, anterius rictum posterius calcar habentibus; *Caulibus* erectis, *Foliis* integris, in margine crenatis, vel alternis vel conjugatis.

PRIORIS GENERIS SPECIES duodecim repe-

reperiuntur apud auctores prima *Balsamina rotundifolia repens seu Mas*; a Bauhino in Pinace. Ab aliis *Cucumis puniceus. Balsamina cucumerina. Momordica* &c: dicitur, cujus fructus vel puniolus est vel ex luteo rubescit. Reliquæ undecim sub nomenclaturis Malabaricis exhibentur in *Horti Malabarici parte octava*, quibus intersunt tres species in *Horti Lugduno Batavi* Catalogo & *Paradisi Batavi Prodromo* propositæ, duæ nimirum sub nomine *Cucumeris punicei Indici majoris & minoris*, Tertia verò sub appellatione *Bryoniæ Zeylanicæ foliis asperis profunde laciniatis*, quæ forsan rectius vocanda est *Balsamina scandens* seu *Momordica Indica Bryonioides fructu levi minori rubro albis lineis virgato*. Zeylanensibus *Basangilli* dicitur.

His deciman tertiam subtexemus dictam.

BALSAMINA *Scandens seu Momordica Indica foetida Bryonioides fructu levi majori rubro*. Kopalam Zeyl.

Ex hujus *radice* exeunt tres pluresve *viticulæ* prælongæ claviculatæ congenerum more vicina staturnina involventes, angulosæ nonnihil lignosæ & nodosæ, nodis quasi in tubera excrescentibus & ubi terram attingunt novas radices agentibus. *Foliis*

Foliis ornatur *Balsaminæ* mari *C. Bauh.* similibus, sed amplioribus in longiora angustiora & profundiora segmenta divisis, atroviridibus & subinde pallidis maculis infectis. Majores quoque sunt flores quinque fariam secti flavescentes, *calici* parvo, in quinque angusta setacea foliola desinente, insidentes. Hos excipiunt fructus glabri nitide rubentes teretes semidigitum longi pollicem crassi, in quorum pulpa continentur *semina* oblonga lurida, quadruplici serie secundum longitudinem disposita. *Radix* lignosa vivax & albida est nunc simplex nunc bipartita ac velut *Bryonia* sæpe rapaceæ crassitiei, modo summo telluri obliquo ductu hærens, modo altius terræ impacta. Uti *sapore* acri amaro ingrato odoreque viroso imo etiam toto fere habitu ad *Bryoniam* accedit; sic quoque virtute cathartica ab hac non multum discrepat. Sed cum tardius & summa cum violentia operatur, inter venena reponitur à Zeylanensibus. Locis sordidis umbrosis ad macerias & parietinas frequens occurrit in Malabara & insula Zeylan. solum Belgicum valdopere aversatur. Nisi enim in Hypocaustis solicite colatur, facile marcescit & interit.

POSTERIORIS GENERIS SPECIES novem innotuerunt; prima est *Balsamina Foemina C. B. Pin. Flore vel candido vel incarnato vel excandido*


BALSAMINA
Fœmina Zeylanica
angusto folio.

dido & rubro variegato punctatove; Secunda est *Balsamina lutea*, seu *Noli me tangere C. B. Pin. Flore vel luteo vel pallido*. Cæteras sex exhibet *Horti Malabarici pars nona* sub nominibus *Onapu*. Nonam nos adjungimus, indictam:

BALSAMINA *Erecta seu fœmina, Persicæ angusto folio Zeylanica.* Dijakudalu Zeyl.

Hæc nomen accepit â *Dija* aqua & *Kudalu* hirudine, quasi diceretur hirudinaria aquatica. Primum enim locis irriguis & paludosis nasci amat, deinde hirudines vel plantæ hujus foliis insidere solent, vel seminalium capsularum formam quadantenus referre videntur. Facie simillima est *Balsaminæ Fœminæ* C. B. P. Ast *folia* sunt angustiora & longiora; *Flores* minores rubello elegantissimo colore nitentes; conceptacula minora & glabra. *Seminibus* strato prægnanti insitis facile quidem adolescit; sed sub nostro climate hactenus ad frugem non pervenit. Mox enim autumni initio, postquam vix unum alterumve florem concepit, nullo subsequente fructu, exaruit. Huc referendæ sunt tres species *Balsaminæ fœminæ Indicæ Breyni in prodr.* 1. nempe flore albo, flore purpureo foliosiore, & flore purpureo fructu hirudinis facie, nam Zeylanicæ nostræ varietates, neutiquam species diversæ sunt.

BETONICA *Maxima Scrophulariæ folio, floribus incarnatis*

Ad quinque pluriumve pedum proceritatem assurgit *caulibus* quadrangulis geniculatis glabris & instar *Scrophulariæ* radice nodosa, atropurpurascentibus, cui & *folia* quadantenus similia sunt, utrinque ex adverso posita rugosa mucronata, una parte viridia, altera pallidula, è geniculis exeunt rami, utrinque unus, quorum summitatibus spicatì densèque verticillata serie circumstant *flores* pallidè incarnati. Hi e galea bifida, labello auriculato & aliquot apiculatis staminibus constructi sunt. Singulis verticillis interponuntur parva foliola, sed ab iis quæ ramis & caulibus hærent diversa, minora nempe glabra tenuia acuminata nonnunquam pallidula & in ambitu rubentia. Tandem succedunt *semina* quaterna parva teretia fusca in caliculis quinquifidis oblongis. *Radix* numerosis albidis & in longum protensis fibramentis constat atque ad tertium quartumve annum perennat. Magna autem cura curari non postulat, quia in quovis Solo fæliciter germinat, & e delapsis seminibus sese propagat. *Sapor* subacris & aromaticus, *odor* graviusculus subacutus inter mentham & lamium medius, Semina a CL. Do. *Boberto* Bota-

p 106



BETONICA *maxima*
Scrophulariæ folio.


BRYONIA Zeylanica
flore luteo fructu rubro.

Botanico Oxonienſi accepimus, ubi locorum ſponte naſcatur non conſtat. Quæ in SCHOLA BOTANICA HORTI REGII PAR. ſub nomine *Betonicæ maximæ ſcrophulariæ folio, flore e luteo palleſcente* dicitur, vel eadem eſt, vel à noſtra tantùm floris colore differt.

BRYONIA *Africana laciniata tuberoſa radice, floribus herbaceis.*

BRYONIA *Africana laciniata, tuberoſâ radice, floribus luteis.*


UTraque mihi enata eſt ſeminibus ad promontorium Bonæ Spei collectis. Priori *radix* eſt rotunda pugni magnitudine *Rhaphani* inſtar, albida, paucis fibris prædita, ima parte duas, treſve appendices quaſi totidem novas radices promens. E ſummo capite mittit *flagella* longa capreolata tenera nodoſa glabra ramoſa quæ congenerum more obvia ſcandunt ſeſeque iis involvunt. His *folia* hærent alterna glabra lucida in aliquot lacinias profunde ſecta. *Floſculi* e quinque herbaceis ſegmentis totidemque crocatis ſtaminulis conſtant; ſinguli inſiſtunt ſingularibus tenuibus petiolis, in quos pediculus qui ad alas emergit, diviſus eſt. Qui fertiles ſunt

ſubjectum habent capitulum futuri fructus primordium, quod e marcidis floſculis abit in baccam inſigniter rubentem piſi majoris magnitudine includentem quatuor acinos fuſcos oblongo rotundos. In hypocauſtis aſſervata perpetuo viret.

Huic non abſimilis eſt poſterior, proferens viticulas quadrangulas, *Folia* craſſiuſula pinguia in tres aut quinque ſinuatos diſſecta lobos, *Flores* paulo majores ſingulares luteolos. *Fructus* nondum perfecit licet copioſe floruerit. *Semina* verò e quibus adolevit forma & magnitudine ſeminibus *Cardui Mariæ* ſimilia erant, coloris fuſci, minime ſplendentis. Utraque in hypocauſtis aſſervata perpetuo viret. Facultate purgandi a *Bryonia* nigra vix aut nihil differre conſimilis *ſapor* prænuntiare videtur.

BRYONIOIDES *Canadenſis villoſo fructu monoſpermos.*

NOvum hoc plantæ genus *Bryonioidis* appellatione indigitavimus, eo quod creſcendi modo, *caulibus* nempe ſcandentibus, *foliis* anguloſis, *floribus* herbaceis & ni fallamur purgandi quoque virtute *Bryoniæ albæ* valde ſimile ſit, ſolis fructubus & radicibus exceptis. Namque fibroſa eſt *radix* ultro


BRYONIA,
Africana glabra
foliis profunde sectis
tenuioribus

ultro citroque per terram reptans, albida & summa parte in parvum veluti capitulum extuberans: *Flagella* longissima tenuia capreolata pilosa in multos ramos divisa & multiplici reptatu quibusvis obviis sese intorquentia: *Folia* Bryoniæ albæ foliorum æmula texturæ gracilioris & coloris in viridi dilutioris. *Flores* longulis pilosis pediculis e foliorum alis egredientibus insident *Bryoniæ albæ* colore textura & dispositione prorsus similis. Singulis, qui fertiles sunt, subjiciuntur fructus singuli, *amygdali nanæ* propemodum magnitudine. Hi virides sunt continentes sub scabra crassiuscula carnosa cute, undique rigidis villis quasi aculeis vestita, *semen* unicum depressum *Citrulli* semine paulo minus foris fuscum, intus candidum & in apice duabus vix apparentibus eminentiis donatum ut *Cucurbitæ* genus esse diceres. Annua est hæc planta, quæ ex decisis seminibus quotannis regerminat ea sæpe luxuria ut nisi soboles sedulo evellantur & rami maturius præcidantur, facto incremento vicinas stirpes irretiat & strangulet. *Sapor* percipitur acris amarus nauseosus *Bryoniæ albæ* similis. Huic quoque virtute purgandi forsan non dissimilis est.

E Canada delata est ad *Clarissimum Tournefortium* à cujus munificentia nos recepimus.

CAPRARIA *Coraſſavica* Cavritta *Luſit*.

EO quod in Coraſſavia inſula hâc planta paſcantur capræ velut in Europâ ex fruticum ramis, Luſitanis *Cavritta*, quod latinis *Capraria* ſonat, indicta eſt. *Folia* quæ primis æſtatis caloribus e radice pullulant in orbem congeſta ſunt, *Agerati* foliis paria, longiora tamen, profundius ſerrata & obſcurius virentia. Inter ea fruticant tres pluresve *caules* ramoſi ſeſquicubitum & amplius alti, quos alterno ordine ambiunt *folia*, iis quæ ad radicem ſunt multo minora. Ex ſingulis ferme alis ab imis ramis ad apicem uſque egrediuntur parvi quinquifidi caliculi bini ternive, interdum unicus & ex his *flores* oblongi candidi in quinque ſegmenta diviſi. His marceſcentibus ſuccedunt *ſemina* parva, cineracea in conceptaculis oblongis nonnihil depreſſis quæ primùm in duas poſtmodum in quatuor partes quaſi totidem carinata foliola diſſiliunt. *Radix* craſſioribus & albo pallentibus fibris ſummam tellurem perreptantibus conſtat. Ea licet ſit fertilitate hæc planta, ut per ſurculos ramulos & decidua ſemina ſine multo labore propagetur, tamen auram rigidam geli-

p. 110.




CARYOPHYLLATA
Virginiana alba


CAUCALIS.
Daucoides

gelidamve perpeti nesciens, hyeme in hypocaustis, æstate locis soli expositis & ab injuriis cœli tutis custodiri expedit. *Sapor* herbaceus, *odor* omnino nullus est.

CARYOPHYLLATA *Virginiana alba, flore minore radice inodora.* Hort. Lugd. Bat.

C*Aryophyllatæ* hujus facies quamvis ex descriptione in *Hort. Lugd. Bat.* Catalogo tradita facile cognosci possit, atque etiam à vulgari non multum discrepet; nihilominus ejus iconem a nemine hactenus editam in gratiam Botanophylorum exhibere visum est. Culta in hortis æque luxuriat ac vulgaris, hyemisque frigus innoxie tolerat.

CAUCALIS *Major Daucoides Tingitana* Moris.

DAucoides cognominata est hæc *Caucalis*, quod toto habitu *Daucum* sativum seu *Pastinacam* tenuifoliam referat, seminibus exceptis quæ in hac majora, crassiora, & longioribus aculeis armata. Ejus historiam tractavit *Morisonus* in plantarum umbelliferarum distributione nova, idcirco iconem tantum in præsenti tabella exhibendam & lectorem ad accuratam *Morisoni* descriptionem pag. 65. relegandum duximus.

CE-

CEREI, insolitæ & mirabilis structuræ stirpes, a funalis tedæ effigie ita dicti, *Opuntiis* seu Ficubus Indicis congeneres sunt. Id florum fructuumque forma & dispositio facile evincunt. In Americæ insulis (borealibus exceptis) tanta sæpe frequentia reperiuntur, ut integras quasi sylvas constituere videantur. Quo loci non è terra tantum sed & arboribus, lignis putridis, ipsisque rupium interventus progerminant; Neque sub nostro cœlo culturam renuunt. Nam per semina & ramos æque feliciter propagantur ac *Opuntiæ*, & velut hæ in fictilibus loco calido & per hyemem absque ulla fere rigatione in hypocaustis curari postulant.

Caules faciunt prælongos crassitudinis ab imo ad summum usque fere æqualis nunc simplices nunc in medio aut mox a radice multifidos, aliquot costis, recta excurrentibus, præditas. Harum anguli, *Foliorum* loco armantur minacibus spinis, Octonis, novenis aut pluribus ab uno centro radiatim sese exserentibus.

Cute teguntur carnosa, intus torulo, per ætatem ligneo farcti. *Fructus* qui vel intra ipsas spinas vel paulo infra eas oriuntur magnitudine colore & forma distincti sunt, singuli tamen fructum *Opuntiæ* referunt & in molli dulcique carne multa granula continent. Nec *Opuntiæ* dissimiles sunt

ſunt *flores*. Hi enim fructuum rudimentis inſidentes ex oblongo craſſoque collo in amplum ambitum terminantur. Petalis conſtant plurimis numero incertis, quorum inferiora baſin floris ſtrictius ambiunt, eamque veluti ſquamæ contegunt; Summa verò roſæ inſtar in orbem laxantur. Nituntur *radicibus* pro ſtirpis magnitudine admodum parvis, lignoſis albidis in craſſiuſculas paucas fibras diviſis. Cum primùm è ſemine pullulant, emittunt muſcoſum & in orbem conglobatum tomentum, (araneoſam telam in ſe convolutam diceres,) ſub quo coſtarum & ſpinarum primordia non injucundo ſpectaculo delitescunt. Harum ſeptem ſpecies ex America in Belgium illatæ ſunt. quatuor majores & erectæ & tres minores & ſcandentes ſeu procumbentes, quanquam quinta nonnunquam erecta conſpiciatur. prima audit.

CEREUS *erectus maximus fructu ſpinoſo rubro.*

Dadus

Hujus *truncus* mox ab exortu multifidus raro ſimplex craſſitie femur, proceritate quindecim pluresve cubitos ſuperat; & circa ſummitatem quaſi in oblongum caput protuberat Coſtis

P con-

constat octonis interdum denis, armatis totidem spinis ex uno centro prodeuntibus, validis sed brevibus quarum longissima vix unciam excedit. *Flores* è viridi pallidè flavescere dicuntur. *Fructus* pugni magnitudine rotundi & Spinis muniti insigni rubro nitent, quem colorem quoque sicci retinent; Horum concolor caro continet *semina* parva oblonga nigra. Qui in Paradisi Bat. prodr. *Cristatus Beaumontianus* appellátur, *Cerei* hujus varietas est, cacumen habens compressum & velut bifida crista coronatum. Spectatur in Horto laudatissimi *Beaumontii*, unde cognomen accepit. Altera est.

CEREUS *erectus fructu rubro non spinoso.*

Hastas erigit priori conformes, ast angulosiores & spinosiores, spinis junioribus præcipue ad exortum rara russescente lanugine pubescentibus. Consimiles quoque sunt *Flores*. *Fructus* magnitudine & forma ovum gallinaceum referunt, spinisque carent, superficies rubet, caro in viridi languet, *Semina* nigricant. Hic idem videtur quem *Nierembergius in* Historia naturæ sub nomine *Cerei spinosi*, Bauhinus in pinace *Cerei peruviani spinosi fructu rubro nucis magni-*


p. 115
CEREUS
erectus fructu rubro
non spinoso.

gnitudine & Stapelius in notis ad Theophrastum *Euphorbii adultæ plantæ* ſive *Cerei effigie* Lob. proponunt. In Catalogo *Horti Lugduno Batavi* nominatur *Ficoides ſeu Ficus Americana Cerei effigie ſpinoſa & anguloſa.* Tertia indicta eſt.

CEREUS *erectus fructu rubro non ſpinoſo lanuginoſus.*

A præcedenti differt potiſſimum colore glauco & copioſiori lanugine, quæ ad trunci faſtigium inter ſpinas apparet. *Flores* herbacei coloris ſunt, *Fructus* magnitudine nucem juglandem adæquant, extus rubri, intus viridantes *Seminibus* nigris pleni. Hujus *Cerei* varietates duæ obſervantur in *Horto Beaumontiano*. Prioris lanugo flaveſcit, Alterius vero ex albo palleſcit. An *Cereus* in ordine noſtro ſecundus hujus tertii varietas ſit, an vero ſpecies diſtincta, determinare vix audeo, propenderem tamen in partem affirmantem, quia fructus ſicci nihil inter ſe videbantur differre. Tertius hic *Cereus* in *Parad. Bat. prodr.* ordine quintus eſt, cujus nomenclatura ibidem propoſita corrigenda eſt. Quarta vocatur.

CEREUS *erectus altissimus Sirinamensis.*

Hujus truncum ultra quadraginta cubitorum altitudinem attolli, asserunt ex Sirinama reduces. Ante octodecim annos Surculum vix palmum altum CL. meus prædecessor *Arnoldus Syenius* in Hortum Academicum Lugduno-Batavum transtulit, qui jam in eam amplitudinem adolevit, ut crassitie brachium & proceritate septendecim cubita superet, vestigiis incrementi, quod singulis annis accessit, in superficie trunci remanentibus, Rectus est & simplex non ramosus costis in imo quinis mox octonis & summum versus denis præditus. quarum extrema ab radice ad cacumen usque armantur spinis, octo decemve ex uno centro egredientibus, ast brevioribus quàm in antecedentibus. Anno M. DC. LXXXXI. unum atque alterum protulit *florem*; Biennio vero post, cùm æstas fervidior esset, Julio mense viginti septem edidit. Hi ad costarum extrema fere in medio trunci nunc intra spinas nunc juxta eas exibant effigieque tubum in amplum orificium sese laxantem referebant. Tubus carnosus erat viridis rotundus striatus & orificium versus quasi squamatus, squamis tamen à se mutuo non sece-

secedentibus, crassitie pollicem, longitudine digitum cum semisse implebat, ad summam oram verò, ubi in petala se explicabat, Rosæ majoris amplitudinem excedebat. Petala numeravi quadraginta quatuor, quorum interiora candida & ad extremum ambitum in aliquot crenas secta erant, exteriora vero in viridi obsolete purpureo colore pallebant. Ex umbilico horum multa candida capitata staminula coronæ specie in orbem fusa prodibant, in quorum medio alia sedecim aut septendecim absque capitulis flavescente farina aspersâ, quæ crassiusculo Stylo ab imo tubi, ubi fructus incipit, oriundo, procedebant. *Flores* una cum *fructubus* quibus insidebant & arcte cohærebant eodem die quo se aperuerant defluebant. *Opuntiis* autem similes videbantur fructus. Nam horum rudimenta multis *granulis* referta, viridia erant, spinisque destituta. Quinta nominatur.

CEREUS *Erectus minor fructu spinoso, costarum numero varians.* Colebre de Spine *Hisp.*


HUjus *caules* minores sunt quam præcedentis duos tresve pollices in ambitu crassi. Costarum numero variant primum tres postmodum

quatuor & quinque in uno eodemque caule observavi. Spinarum agmina longius invicem dissident, spinis productioribus & tenuioribus communiter quinis juxta se positis. *Flos* è viridi pallet. *Fructus* rotundus spinosus. *Semina* majuscula. Hic in Paradisi Batavi prodromo *Cereus erectus Curassavicus tetragonus articulatus* appellatur; Ast verè articulatus non est; Sed caulis fastigio, dum augetur & succrescit, novus caulis, nexu quasi articulato junctus, videtur accessisse. Sexta est

CEREUS *Scandens minor trigonus articulatus fructu suavissimo.*

CAulibus exit prælongis in ambitu tres pollices crassis, ramosis, articulatis, flexuosis, humi reptantibus aut, si adminicula inveniant hederæ more ascendentibus. Hi ternas acutas costas quinque vel sex parvis aculeis velut præcedentes armatas habent. Articuli quibus caules coagmentantur in patrio solo vix palmum longitudine attingunt; In hypocaustis vero vitreis sub nostro cœlo pedem nonnunquam superant. Ex omni ferè parte præcipue intra canaliculos sive sulcos emittunt longas pallentes fibras, quæ vel in terram demittuntur, vel arborum quas scandunt scissuris veluti claviculi

se


CEREUS
Scandens minor
articulatus

se insinuant illaqueantque. In *floribus* siccis quinque tantum petala e viridi pallentia numeravi. Reduces ex America asserunt, *fructum* appellari *Pythabaya*, intus & extra elegantissime rubere, magnitudine *aurantiam* æquare & ob suavissimum acido dulcem saporem in deliciis haberi. Eadem fere de *Pythabaya* refert *Nierenbergius* in c. 80. l. 14. *Hist. Nat.* Addit *de Laet* c. 12. l. 19. *Descr. Ind. occid.* quod comestus fructus urinam tingat colore plane sanguineo, sine noxa tamen. Nomine *Cerei peruani amplexicaulis articulati fructu rotundo maximo coccineo* extat in Parad. Bat. Prodr. *Bauh.* in Pinace vocatur *Carduus spinosissimus brachiatus ex Hispaniola.*

Huic valde simile est *JAMACARU* 1. *Pison.* *Pluckenetius in Phytogr. Tab.* 29. plane idem esse censet; Ast dubium inter alia injicit fructus pulpa. Hanc *Piso* candidissimam esse scripsit. Nostri *Cerei* fructum intus & extus elegantissime rubere accepimus. Laudatus *Pluckenetius* l. c. Cerei hujus iconem sub appellatione *Ficoidis Americani* seu *Cerei erecti cristati foliis triangularibus profundè canaliculatis* proposuit. Nos cristatum hactenus non observavimus.

An *Carduus Pitahaya* Americanorum cujus fructus iconem *Parkinsonius* ex *Oviedo* exhibuit cum no-

nostro *Cereo* conveniat, iis decernendum relinquo, quibus fructum vidisse contigit.

Similis etiam species huc invecta est ex insula St. Crucis nomine *Pythahayæ Simeron* hoc est *Pythahayæ* sylvestris. Facie vero a priori diversa non erat. Sed differentiam in fructus sapore minus suavi consistere perhibebant qui huc attulerant. Septima appellatur.

CEREUS *Scandens minor polygonus articulatus.*

CRescendi modo similis est præcedenti, proferens *caules* prælongos articulatos flexuosos ramosos & radicosos, digitum crassos, multis costis, (nonnunquam quindecim numeravi) totidemque brevissimis & tenuissimis spinulis armatis præditos. De *flore* & *fructu* nihil mihi constat. Idem minimus articulatus ex vera cruce *Par. Bat. Prodr.* ab hoc *cereo* nullatenus differt.

Ad *Cereorum* familiam pertinet quoque planta Mexicana quam ex *Rechio Joh. Terentius* Lynceus proposuit nomine *Qaub cuetz placuitlapilli.*

CHA-

CHAMÆCISTUS *Americana Portulacæ folio; flore albo.* Portulaca *Americana seu Corassavica latifolia, erecta floribus albis.* Par. Bat. pr.

CUbitali altitudine assurgit, *caule* inæquali, tereti glabro, succoso, frequentibus inconditis ramis distincto. Hos vestiunt *folia* crassiuscula ex angusto principio in obtusam latitudinem, se laxantia, sativæ *portulacæ* proxima, ast paulo ampliora & succo aqueo insipido plena. *Caulis* & ramorum summitates finduntur in triquetros sesquidigitales quasique alatos ramulos, & hi rursus in alios breviores, *foliis* ut plurimum viduos, quos veluti spicata serie coronant *flores* candidi pentapetali, insidentes calici bivalvi herbaceo, fugaci; hos subsequuntur vascula subrotunda piso majora, quæ maturitate in bina, ut plurimum tamen terna carinata tenuia foliola dissiliunt & exigua nigricantia *semina* profundunt. *Radix* fibrosa alba & annua videbatur. Prodiit hoc anno (1688) seminibus ex *insula Crucis* delatis, cujus incolæ plantæ hujus foliis, velut nostrates portulacâ, vescuntur.

CISTUS *Humilis aizoides Africanus glauco folio, flore albo.*


IN *Horto Lugduno-Batavo* iconem & descriptionem exhibuimus *Chamaecisti aizoidis Africani maritimi flore rubello*, cui impresentiarum subnectimus duas alias species iisdem *aizoidaeas*, quarum prima descriptae adeò affinis est, ut ex sola nomenclatura ab illa facilè descriminetur, neque exactam descriptionem nedum iconem exigere videatur. Nec *radice* nec *foliis* differunt, nisi quod haec breviora plerumque sint & glauco colore undique perfusa. *Caules* etiam vix tam altè assurgunt, sustinentque *flores* albos staminibus luteis in medio stipatos, quibus subest *calyx* bifolius virescens plurimis nigris maculis punctatus. Caetera conveniunt.

Plantarum Corymbiferarum seminibus bidentibus, seu duabus rarius tribus in apice aristis praeditis tres species novas proponemus. Prima est.

CHRY-

p.122.






CHRYSANTHEMVM
Virginianum foliis
Cicutæ nonnihil
Similibus

CHRYSANTHEMUM *Americanum Cordis Indi folio.* Chrysanthemum *Virginianum foliis multifidis Cicutæ non nihil similibus H. L. Bat.* Chrysanthemum *Cannabinum Americanum frutescens Virginianum Sambucci laciniatæ foliis & facie Breyn. Pr. 2.* Chrysanthemum *Chinense foliis plurifariam divisis Halicacabi peregrini æmulis Pluck. Tab. 22.* Cuambu *sive* Caryophyllata *Pison.*

HOc e China allatum esse *Pluckenetius* refert. Nos primum à præfecto Horti pharmaceutici Londinensis, ad quem e Virginia delatum erat, habuimus, & deinde ex Curassavia & Nova Anglia accepimus. *Piso* in Brasilia observavit. *Caules* striati sunt quandranguli & nonnihil depressi. *Folia* potius *pisi* vesicarii seu *Cordis* Indi quam *Cicutæ* aut *Sambucci* laciniatæ folia imitantur. *Semina* in summo duabus interdum tribus aristis donata sunt, fusca quadrangula angusta unciam longa, formam acus referentia; Hinc ab acus forma vulgo **Naalden en Spelden kruydt** appellatur. *Radix* quotannis interit, & ex seminibus deciduis sese renovat. Cætera quæ plantæ hujus historiam attinent, habentur in descriptione, quæ in *Hort. Lugd. Bat.* Catalogo, sed absque icone pro-

 poni-

ponitur. Idem latifolium feminibus longissimis Curassavicum *Parad. Bat. prodr.* specie diversum non est. Pro vario solo ac cœlo varia est foliorum magnitudo. Altera est

CHRYSANTHEMUM *Americanum Ciceris folio glabro, Bellidis majoris flore.*

RArum hoc & perpulchrum *Chrysanthemum* florum colore & forma *Bellidem* majorem sylvestrem, foliorum pinnis *Cicer* quodammodo æmulatur. *Caules* promit quamplurimos cubitales nodosos ramosos graciles infirmos & ni fulciantur humi residentes. *Folia* conjugata, pinnis crenatis hilaris viroris ex uno pediculo ternis composita, ad imos caules nonnunquam quinis & ad summos qui flores sustinent solitariis, quæ quo propiores radici, eo rotundiores & quo remotiores eo longiores sunt. *Flores* ex octonis candidis petalis & punicante in luteo disco constant. *Semina* succedunt priori paria striata bifurcata fusca & si diligentius inspiciantur undique villosis hamulis obsita, inde est quod veluti præcentia prætereuntium vestibus adhærent. *Radix* e numerosis albidis fibris cohæret, vivax est, & vim sobolis procreandæ possidet. Naturæ tenerioris est hæc planta & ab hyberno frigore quod inno-


CHRYSANTHEMUM
Americanum Ciceris
folio.

p. 121



innoxie non fert defendenda. *Sapore* & *odore* evidenti caret. Adolevit in Horto *Fageliano* seminibus ex Insula St. Crucis invectis. Postrema est.

CHRYSANTHEMUM *Corassavicum alato Caule floribus aurantiis.* Chrysanthemum *cannabinum Americanum alatum flore aphyllo globoso aurantii foliis Baccharidis Breyn. Pr.* 2. Chrysanthemum *Americanum bidens alatum flore parvo aurantiaco Pluckn. Tab.* XLVIII.

A bidentibus *Chrysanthemis* multum discrepat plantæ hujus externus habitus: *Caules* enim ab imo fere ad summum usque membranaceis alis e foliorum marginibus deorsum flexis vestiuntur. *Folia* non conjugato sed alterno ordine nascuntur. Differentia quoque in floribus est, ut postea dicetur. Hi si expendantur primo intuitu *Conyzæ* potius quàm bidentis *Chrysanthemi* genus esse videtur; Ast ubi semina apparuerunt nemo eam à prædictis Chrysanthemis facile removebit. *Radicibus* firmatur ab uno principio compluribus vivacibus surculosis pallidis, è multis fibris minimum digitum crassis & in profundum actis coagmen-

mentatis; *Caules* ultra cubitum rectà elevantur in varios ramos divisi rotundi subhirsuti digitalis crassitiei. *Folia* quidpiam similitudinis cum Monspeliensium *Bacharide* habent. Rugosa enim sunt multis venis prædita, in margine crenata quasique undulata absque pediculis in caule locata. Formâ admodum variant. Interiora pene rotunda sunt, cœtera longula & interdum non nihil mucronata; intermedia quæ maxima sunt, amplitudinem palmæ nonnunquam excedunt. Ramulorum cimis insident globuli e multis minutis flosculis aurantiaci coloris & in quinque segmenta partitis contexti. Singulis succedunt *semina* parva spadicea membranacea cordata in summo duobus brevissimis & angustissimis apiculis donata. *Pluckenetius* suæ iconi tres apiculos appinxit. Eo quod a Brumæ rigore facile lædatur in hybernaculis asservandum est, medio verò Maij in pulvillos dispositum, conspirante cœli temperie lætius assurgit, quam si in testaceis relinquatur. *Sapor* herbaceus, floris *odor* languidus.

Cum primùm seminibus e Corassavia invectis adolevisset hoc *Chrysanthemum* totum incanum erat, Bimulum vero factum & deinde per soboles & semina propagatum mutata canitie, eleganti viridi colore nitebat.

CO-


p 15
CONYZA
pyrenaica folio
primulæ veris

CONYZA *Pyrenaica foliis primulæ veris* Conyza *latifolia viscosa suaveolens flore aureo è Gallo provincia Schol. Bot. Paris. Tournef.* Eupatoria Conyzoides *maxima Canadensis foliis caulem amplexantibus. Plucken. Tab.* LXXXVII. Conyza *major alato caule foliis primulæ veris longe amplioribus graviter odoratis. Læl. Triumfett.*

Per initia antequam decaulescit *Conyza* hæc *folia* profert in orbem fusa, superficie rugosa & in ambitu acuminatis crenis incisa, *Primulæ veris* foliis adeo similia, ut potius hujus quam *Conyzæ* genus esse diceres. Deinde ex horum medio (quod secundo a satu anno contingere solet) egrediuntur *caules* bini ternive, aliquando unicus, sesquicubitales, qui veluti *Bacharis* Monspeliensium ferme à medio ad summum usque in multos *ramos*, & hi rursus in alios minores, umbellæ formam constituentes, dividuntur. Singuli exeunt in oblonga foliosa parva capitula, extima parte multis luteis tubulosis *flosculis*, & parvis angustis concoloribus petalis numero ut plurimum quatuor coronæ instar, ornata. Senescentibus succedunt papposa *semina* Conyzarum fami-

familiæ communia. Caules vestiunt *folia* absque pediculis alterna serie, quorum inferiora & intermedia iis, quæ ex radice prodeunt magnitudine cedunt; Superiora vero sensim decrescunt atque rugis & crenis carent. *Radix*, pollicari crassitudine ad palmæ longitudinem descendit, albida & in aliquot fibras brachiata, quæ intercidentibus caulibus hyeme in hortis nostris, quorum solum humidius est, corrumpitur, quanquam non raro è summo capite soboles emittat, quæ insequente anno sese perficiunt. In fictili asservata complures annos superstes est. Abunde quoque renascitur ex delapsis septembri mense seminibus.

Plantæ vis & effectus reliquis *Conyzis* non omnino dissimilis videtur. Tota namque pinguis & tactu glutinosa est *odore* suavis & fragrans *sapore* acris ad *chamæmælum* nonnihil accedens.

E Gallo Provincia lecta est à Clarissimo *Tournefortio*, nobisque communicata.

Virga aurea latissimo folio Canadensis glabra *Schol. Botan. Paris.* quam *Pluckenetius* licet dubitanter Tab. LXXXVII. nostræ huic *Conyzæ* sinonymum facit, ab hac diversissima est.

Qua

Quatuor Plantæ ſunt, quæ vulgo *Cortuſæ* vocantur. I^ma^ eſt *Cortuſa Matthioli* ab inventore *Jacobo Antonio Cortuſo* ita nuncupata. *Unicapſularis* ea eſt & polyſpermos; capſula nempe oblonga in brevi quinquifido calyce; *Floribus* monopetalis, quinque crenis diviſis, pluribus in ſummo caulis nudi ſimul junctis; *Foliis* ſubrotundis rugoſis crenatis & laciniatis. Igitur vel *Primulis veris* vel verius *Auriculis Urſi* ſubjicienda eſt. *Cluſius* & *C. Bauhinus* vocant *Saniculam montanam*, denotantes nomine *Saniculæ Auriculam Urſi*. *Cortuſæ* hujus duæ Icones ab autoribus exhibentur, altera floribus propendentibus, altera ſurrectis. Unam autem eandemque plantam ſignificare videntur. Nam dum florere incipit *Cortuſa*, flores ſæpe erecti conſpiciuntur, poſtmodum ubi penitus perficiuntur, deorſum vergunt & nolæ inſtar propendent, quibus defluentibus capſulæ ſeminales rurſus eriguntur.

II eſt *Cortuſa Americana* flore ſpicato petalis integris *Hort. Lugd. Bat. app.* Id nominis accepit quod *Cortuſæ Matthioli* folia æmulatur, Bodæo a Stapel in Theophr. *Corthuſa Indica* atque *Hedera terreſtris* dicitur, Foliis enim & flagellis reptatricibus *Hederæ* noſtræ

terrestri nonnihil similis est. In *Cat. Hort. Reg. Par.* nominatur *Sanicula montana Americana repens*, & in *Horto jonquet. Sanicula montana peregrina* seu *Cortusa Americana D.* Brunyer.

III. est *Cortusa Americana spicato flore petalis fimbriatis* H. L. B. à præcedente solis petalis, quæ in tenuissimas & quasi capillaceas lacinias divisa sunt distincta variisque cognomentis ab autoribus donata. In *Horto Lugduno Batavo* a prædecessoribus meis indigitata est *Cortusa Americana flore spicato stellato* In *Hort. Reg. Paris & Mentzel. pugillo*, in quo simul Ico proponitur, appellatur *Sanicula seu Cortusa Americana altera floribus minutis fimbriatis*. In Horto *jonquet*. Dicitur *Sanicula montana seu Cortusa Americana spicato herbaceo flore Robini*. A diversis hisce cognomentis forsan est, quod CL. *Rajus in Hist.* ex hac tertia specie tres distinctas fecerit, cum una tantum sit. Subjungit porro *Cortusam Americanam flore spicato stellato Hort. Lugd.* ad *Pyrolæ* Classem esse referendam autore *Hermanno*. additque hujus flosculis succedere vascula compressa bicapsularia *Thlaspios* æmula, quæ eodem modo dehiscunt, quo *Pedicularis* luteæ vascula. Tantum autem abest, ut unquam docuerim ad *Pyrolæ* Classem perti-


CORTUSA
Americana
floribus herbidis
p. 130

pertinere, ut potius probaverim, hanc & præcedentem secundam esse plantas angiopolyspermas *seminibus* parvis oblongis nigris lucidis conceptaculis parvis subrotundis nonnihil depressis leviter acuminatis per mediam longitudinem lineola inscriptis, nequaquam bicapsularibus nec intergerina membrana velut Thlaspi præditis: sed unicapsularibus & dum flores defluxerunt grandescentibus & in duas carinas dehiscentibus, *floribus* minutis in quinque segmenta divisis & spicæ ordine structis; Caliculis rotundis laxis in viridi albentibus, *Foliis* Cortusæ Matthioli æmulis.

IV. est *Cortusa Americana flore squallide purpureo vulgò dicta* quo nomine quoque In *Hort. Academ. Lugd. Bat Catalago* inter *Primulas veris* proponitur. *Pluckenetius in Phyt. Tab.* 58. hujus ramulum pinxit subscripto nomine *Saniculæ* seu *Cortusæ Americanæ spicatæ floribus squallide purpureis*. Nos pleniorem iconem ad vivum expressam sistimus. *Radice* constat multiplici palmum longa, digitum crassa nonnihil intorta foris fusca intus albida ex multis ad latera nascentibus propaginibus quasi totidem radicibus cum intermixtis aliquot tenuibus fibris cohærente. In singulis harum capitibus *Folia* profert in orbem fusa, virginea longis pediculis innixa

Cortusæ Matthioli paria, ast ampliora multo crassiora minusque rugosa superne saturatius virentia, inferne pallidula in ambitu crenata & nonnunquam laciniata, crenis in brevem & inermem aculeum desinentibus. Intra hæc eriguntur *cauliculi* sesquipalmares tenues nunc simplices foliis vidui, nunc ex aliquot ramis compositi & ad quemlibet ramorum ortum foliolo inferioribus multo minori prædıti. His fere a medio ad fastigium usque circumstant *flosculi* in laxiorem quasi spicam digesti, singuli constructi sunt è parvo quinquifido calyce & prominentibus aliquot apiculatis staminulis sordide purpurascentibus. De *seminibus* horumque conceptaculis nihil statuo, ea enim quamvis in hortis nostris copiose floruerit nec dum vidisse contigit. Ad postremam autem *Cortusam* attinere non incongrue forsan ex consimili habitu & crescendi modo suspicamur. In quovis solo licet frigidiusculo sine ullo labore succrescit & multiplicatur. *Sapor* inest terreus & adstrictorius, *odor* omnino nullus.

CU-


p. 173
CUCUMIS Canadensis
monospermos
fructu
echinato.
35

CUCUMIS *Africanus echinatus minor.* Hyſtrix *vegetabilis vulgò.*

PRæter *Cucumeris* ſpecies, ab auctoribus qui ante nos ſcripſerunt, propoſitas, novam è Promontorio Bonæ ſpei invectam exhibemus, quam ob aculeatam fructus faciem *Cucumerem Africanum echinatum* ſeu *erinaceum* diximus. Duas autem differentias hactenus agnovimus, majorem nempe & minorem. Viſum eſt minoris tantum iconem proponere, cum major ſola partium magnitudine à minori diſcrepet. *Radix* ei ſubeſt longa alba craſſitie calamum ſcriptorium æquans. Nihil aut parum fibroſa, in ſuperficie multis parvis tuberculis ſeu verrucis exaſperata & quotannis interiens *Flagella* fundit cucumerina, quadrangula, ſtriata, aſpera valdè ramoſa & capreolata: his *folia* adſtant oblonga, hirta, villoſa, crenata, in duos ut plurimum treſve lobos nunc profundiores nunc leviores diviſa, rarius integra ex alis egrediuntur *flores*, qui *cucumeri* paulò minores ſunt, lutei, in quinque cuſpidata ſegmenta diſſecti; ſingulos, qui fertiles ſunt, excipiunt *fructus* digitum longi, craſſitie & forma parvum cucumerem æquantes, aculeis brevibus, craſſis, ſed minus pungentibus undique obſeſſi. Color primum viridis eſt, & ubi ad

maturitatem pervenerunt, in viridi fuſcus ad obſoletè caſtaneum ſordidum vergens, & per longitudinem decem undecimve albidis lineis notatus. Caro in tres quaſi phalanges, & hæ rurſus in alias minores diſtincta eſt, in quibus eadem quoque ſerie diſponuntur *ſemina* albida, depreſſa, ſeminibus cucumeris nonnihil minora & tumidiora.

Vim catharticam poſſidere hanc plantam, ex inſigni ejus acredine & amaritie, *Colocynthidis* inſtar, faucibus diu inhærente, & nauſeam procreante, atque etiam odore viroſo, forſan non temerè judicatur. Huic ſubdendus eſt,

CUCUMIS *Echinatus Colocynthidis folio fructu majori.*

HUnc inter *melones* in horto *Mareſiano* adoleſcentem obſervavi, qui tantum *fructubus* longè majoribus a ſuperiori ſpecie differebat. *Semina* unde allata erant incompertum eſt.

DUo genera *Echinomelocacti* laudabili cura AMPLISSIMI *Simonis a Beaumont* ab annis aliquot e Coraſſavia inſula in Belgium delata ſunt. Utrumque provenit eo loci, quo *Opuntiæ* & *Cerei*, ad


CUCUMIS echinatus
Colocynthidis folio.

ad quorum familiam *Echinomelocacti* pertinent, nascuntur, nempe in Saxorum & rupium intervenis, pauca aut nulla interveniente terra, aliisque quam plurimis locis in quæ semina injecta sunt.

Plantæ sunt visu raræ & pulchræ sphœricæ propemodum figuræ, acaules, foliis & ramis destitutæ, ast spinis undique armatæ, *floribus* tubulosis parvis in decem segmenta divisis, *fructubus* oblongis forma & magnitudine *Capsici* fructu minimo, eleganter rubellis, tenui subdulci pulpa & multis minutis *seminibus* refertis.

Quæ ex priori genere sunt subrotundi *Melonis* magnitudinem adæquant, constantes sedecim aut septendecim, (nonnunquam paucioribus) costis aculeatis, & candido tomentoso capite, è quo flores fructusque egrediuntur, cohærent. Hujus generis duæ prostant varietates, quarum *prima* costas habet ab imo ad summum recta ascendentes, appellata:

ECHINOMELOCACTOS *Major non lactescens costis rectis.* Echinomelocactus *major tomentoso capite costis rectis Par. Bat. Pr.* Ficoides *occidentale spinosum melonis facie costis rectis Hort. Lugd. Bat. App.* Pomum *spinosum Opuntiatum Munting. Prax.*

Hæc

HÆc a *Pena, Lobelio, Clusio,* aliisque delineata & descripta est.


Secunda varietas a prima non aliter distinguitur nisi costis obliquo ductu ascendentibus, & in dicta.


ECHINOMELOCACTOS *Major non lactescens costis obliquis.*

Posterioris generis *Echinomelocacti* multo minores sunt & lactescentes, nullis nec costis nec tomentoso capite constantes, sed ex multis spinosis tuberculis cohærentes. *Floribus* & *fructubus* quaquaversum prodeuntibus, primo generi cœteroquin paribus. Horum duæ quoque differentiæ notæ sunt; prima est.


ECHINOMELOCACTOS *minor lactescens tuberculis seu mammillis majoribus.* Echinomelocactos *minor lactescens absque tomento cylindris strictioribus Par. Bat. Pr.* Ficoides *occidentale spinosum minus absque tomento Hort. Lugd. Bat. App.* Ficoides *seu Melocactos mammillaris glaber sulcis carens fructum suum undiquaque fundens Pluck. Tab.* XXIX.

E, nu-










ECHINOMELOCACTOS
minor Lactescens
aeque tomento
Cylindris Strictioribus

E numerosis oblongis tuberculis, protuberantium mammillarum instar, ad apices aculeatis & nonnihil lanuginosis, novem decemve aculeis, juxta se positis, constructus est hic *Echinomelocactus*, sphœrica est ejus forma & nonnunquam productior, mali Aurantii magnitudine, coloris in hilari virore splendescentis. Carne seu pulpa constat duriuscula in viridi pallescente agrestis & cucumeracei saporis. Turget insuper succo lacteo, quem sauciatus omni ex parte profundit. *Flores* nunc e tuberculorum interstitiis, nunc inter ipsos aculeos erumpunt, similes *Echinomelocacto* majori, pusilli nempe rubentes & tubulosi in decem segmenta separati, exiguo Crocato umbilico ceu altero flosculo e medio prominente. Singulis subjiciuntur *fructus*, qui marcescentibus floribus primo sensim prodire incipiunt & postmodum ad maturitatem perducti derepente & quasi uno ictu, jucundo præsentium aspectu ejaculantur. Forma & magnitudine fructum *Capsici* siliquis minimis & augustissimis adæquant, & tenui sub membrana sanguinei splendidi elegantissimi coloris includunt pulpam e rubro pallentem minutissimis flavescentibus *seminibus* refertam. *Radix* tenuis est &

albida, in aliquot fibras divisa, quæ per tupium intervenia reptant harumque asperitatibus sese illaqueant. Altera dicitur:

ECHINOMELOCACTOS *minor lactescens tuberculis minoribus.* Echinomelocactos *minor lactescens absque tomento cylindris strictioribus Par. Bat. Prodr.* Ficoides *seu Melocactus minimus lanuginosus spinis mitioribus fructu sparsim egrediente. Pluck, Tab.* XXIX.

HUjus forma nonnihil depressior est & rarius in longitudinem porrecta. Tubercula multo minora minus protuberantia & pressius invicem cohærentia. *Aculei* longiores tenuiores & mitiores, quibus tenuior sed copiosior lanugo intertexta est. Quoad *Flores*, *fructus* & cætera nullatenus a priori distinguitur.

Echinomelocacti majores, seu sulcati licet flores & fructus quos in Patria concepere, in Hortis nostris aliquando perfecerint, attamen absque ullo incremento eodem in statu quo e Patria delati sunt ad quartum quintumque annum perstiterunt. *Minores* vero seu mammillares facilioris cul-

culturæ ſunt. Hi namque in Hortis non ſolum augeſcunt, flores & fructus ferunt ſed & ſeminibus mox a maturitate ſatis repullulant & propagantur. Expoſtulant nihilominus exactam culturam, ſolum ſiccum & calorem efficaciſſimum, ut proinde toto fere anno, menſibus Junio & Julio exceptis, in vitreis hypocauſtis aſſervandi ſint.

De Vitæ termino nihil determino, niſi quod ſuſpicer eos fructubus omnibus excuſſis interire. Inter eos, quos in fictili colo, interſunt, qui ad ſextum annum vixerunt & viguerunt.

Majores & Minores ſub cineribus uſtulati ab Indis eſitantur. Aſt ingratior horum ſapor. Suaviores ſunt fructus, qui ob dulcedinem, ficuum æmulam, avidius expetuntur.

Terentius Ex autographo *Nardi Antonii Rechi* ſub nomine *Tepenexcomitl.* quintam *Echinomelocacti* ſpeciem proponit, inquiens: *Eandem videri plantam, quæ à Pena, Lobelio & Cluſio ſub nomine Echinomelocacti deſcripta eſt, ſed plurimum differre; primùm radice, cujus fibræ in craſſam radicem coaleſcunt, & deinde fructu qui rubeſcit quidem ſed maculis quibuſdam viridantibus ornatus eſt*, addit quoque *carere capite tomentoſo.* E *Rechii* icone patet, fructus in ſuprema Sphæræ parte ſpinis in longum porrectis circumſeptos

 eſſe.

esse. An ad lactescentes vel non lactescentes pertineat ex descriptione *Terentii* colligi nequit.

EPhemera Græcis dicta sunt fere omnia præsentanea venena, quæ gustata intra unius diei moram homines interficiebant. Hinc *oleum Medicum*, *Pharicum*, *Colchicum*, *Cicuta* & alia *Ephemera* vocabantur. *Dioscorides* Ephemeri nomen duabus plantis assignat, quarum altera lethalis, altera innoxia est. *Lethalem* sub nomine *Colchici* describit & aliquibus *Ephemerum*, nonnullis *agrestem bulbum* vocari dicit. *Non lethalem* sub titulo *Ephemeri* proponit & sylvestrem *Irim* aliquibus appellari tradit. De utroque *Ephemero* intricatissima & incerta res est. *Primum* esse speciem è nostris *Colchicis* plurimorum quidem opinio est: Cum tamen nullum *Colchicum* nobis cognitum, *Colchico* seu *Ephemero* lethali *Dioscoridis* respondeat. De *altero* diversimode sentiunt Scriptores. Quidam enim pro *Colchico* nostro vulgari habent. *Fuchsius* pro *Lilio* quod *Convallium* dicunt. Lobelius *Hermodactylum* officinarum esse suspicatur inquiens *Ephemerum salubre dote duntaxat & leviori aliqua notâ non item specie ab Hermodactylo officinarum dissidere* &c. Ast ipsa

ipsa *Hermodactyli* Historia tam veterum quam officinarum nostrarum adhuc tenebricosa est.

Matthiolus pro *Ephemero* Dioscoridis pinxit plantam nulla addita descriptione, quam in Ananiensibus montibus tàm in pratis quàm in Sylvis nasci, & indigenis *Giglio mato* hoc est *Lilium stultum* appellari, eique omnes notas convenire, quæ alteri *Ephemero* a Dioscoride tribuuntur, asserit. Ast cum nemini hactenus Planta Matthiolianæ Iconi similis visa sit, haud temere forsan *Matthioli* iconem ex notis Ideâ conceptis fictam habent *Lobelius*, *Columna*, & alii.

Lobelius, *Dodonaeus* & horum autoritate plures sub titulo *Ephemeri Matthioli* plantam exhibent, sed a Matthioliana Icone longe diversam. Hanc *Morisson* in plan. Hist. *Blattariis* & *Lysimachiis* bicapsularibus subjunxit sub appellatione *Blattariæ affinis plantæ bifoliæ levis flore albo Ephemeri*. Male bifoliam nominavit, tum quod non constanter folia conjugata sed nonnunquam alterna profert. In *Hort. Lugd. Cat. Lysimachia semper virens spicata Ephemeron dicta* appellatur, quo nomine etiam à *Muntingio* in praxi plantarum proponitur. *Lobelius* quoque ad *Lysimachias* spicatas pertinere censuit, dum inquit: *Planta hæc exotica* (Ephemeron Matthioli intelligens) *ad Lysi-*

machiæ species, quibus formâ similis est referenda videtur.

Fabius Columna in Ecphr. part. 1. pro *Ephemero Dioscoridis* supposuit speciem *Digitalis* quæ C. Bauh. in Pin. *Digitalis lutea flore majore* habetur. Quamvis *Columna* margini l. c. adscripserit *Digitalem* vulgarem *Lobelii*. Neminem autem fore arbitror, qui *Digitalem*, ab *Ephemero Dioscoridis*, si cum ejus descriptione diligentius conferat, diversam esse negabit.

Nostri Herbarii nomine *Ephemeri* designant plantas quasdam bulbosis affines tricapsulares, *floribus* fugacibus tripetalis, & in paucis speciebus in duo tantum segmenta separatis (rectius ἡμεροκαλλίδας vocari possent) eo quo nascuntur die denascentibus; *Foliis* ad singulos caulium ramorumque nodos singulis, *Radicibus* reptatricibus. Hæ à florum potissimum dispositione in *duas* classes distribui possunt.

Prima Classis *flores* tantum trifoliato calyci absque foliacea theca inhærent, suntque vel *majores*, qui summo cauli numerosa serie velut in umbella insident; vel *minores*, qui ex singulis foliorum sinubus nunc singulatim nunc plures simul juncti egrediuntur.

Flores

Flores *majores* ferunt

EPHEMERVM *Virginianum erectum flore coeruleo Hort. Lugd. Bat.* Phalangium *Ephemerum Virginianum Tradescanti Park.* Allium *seu Moly Virginianum C. B. P.*

Idem *flore purpureo Hort. Lugd. Bat.* Phalangium *Ephemerum Virginianum flore purpureo Cat. Hort. Reg. Par.*

Idem *flore albo Hort. Lugd. Bat.* Phalangium *Virginianum flore albo Cat. Hort. Reg. Par.*

Idem *flore candido mox coerulescente.* Phalangium *flore candido mox coerulescente, Hofm. Flor. Altorf.*

Idem *flore ex albo & violaceo vario.* Phalangium *Virginianum flore ex albo & violaceo varium* Hofm. Flor. Altorf.

Flores

Flores *minores* edunt.

EPHEMERVM *Malabaricum aquaticum procumbens tricoccum ad singulos foliorum sinus floridum.* Ephemerum *Phalangoides Matraspatnense minimum secundum caulem quasi ex utriculis floridum Pluck. Tab.* CLXXIV. Nir-pulli *Hort. Mal. Part.* 10.

EPHEMERVM *Corassavicum procumbens angusto, longoque folio Par. Bat. Prodr.*

Ea huic est similitudo cum proxime præcedente Malabarico aquatico, ut nisi folia produxisset longiora glabra absque pilis, plane idem pronunciarem. Enatum est *seminibus* Corassavicis, *caulibus* cubitalibus humi sparsis, & mox ab exortu ramosis, *foliis* sesquidigitum & amplius longis nonnihil striatis, ad basin latis & sinuosis in angustum desinentibus; *Floribus* ex horum sinu tripetalis coeruleis parvis. *Semina* videre non contigit. Nam postquam flores ediderat, totum exaruit.

EPHE-

EPHEMERVM *Malabaricum pumilum erectum gramineis foliis.* Nelam-pulli *Hort. Mal. Part.* 10.

S*ecundæ* classis *flores*, præterquam quod caliculo ut plurimum trifoliato cohæreant, involvuntur complicato viridanti foliolo, univalvem compressam hæmisphœricam & hiantem veluti thecam mentiente, e quo duo tres pluresve flores uni petiolo insidentes sese exerunt. Ad hanc pertinent:

EPHEMERVM *Virginianum ramosum procumbens tripetalon foliis rigidis.* Ephemerum *Virginianum procumbens ramosum foliis amplis Zanon. Hist. Bat.*

EPHEMERVM *Brasilianum ramosum procumbens bipetalon foliis mollioribus.* Ephemerum *Africanum annuum flore bipetalo Hort. Lugd. Bat.* Planta innominata *Dipetalos Brasiliana foliis Gentianæ aut Plantaginis Mark. Raj. Hist.* Phalangium *Africanum Hellebori-*

nes folio non descriptum Hort. Lugd. Bat. Raj. Hist.

F*los* duobus petalis coeruleis, aliquot in pallido flavescentibus staminulis, & quatuor pallidis foliolis calicem constituentibus, quorum alterum fere medium floris occupat, donatur; *Folia* multo minora sunt & molliora quam *Ephemeri* Virginiani *Zanoni* cum quo alioquin reliqua conveniunt. Sed *radix* annua est, & *sapore* dulci & mordicante quem in Virginiano deprehendit *Zanoni* caret.

EPHEMERUM *Corassavicum procumbens amphicarpon.*

C*auliculos* per terram spargit dodrantales & in lætiori solo nonnunquam cubitales colore viridantes & nonnihil ruffescentes, nodosos ramosos, & ex singulis geniculis, quæ terram attingunt, pallidas radicosas fibras demittentes; *Folia* oblongo rotunda duos ungues lata, in parvum mucronem exeuntia, nunc albis lineis aut maculis aspersa, nunc prorsus alba, superne glabra, inferne pallidula & rara vix conspicua pube, quæ & in caulibus apparet, obducta, ad margines

EPHEMERUM

Cerastapicum procumbens amphicapon



38

gines crispa & undulata, quorum pediculus in latiusculam membranam laxatus caulem & genicula aliquousque involvit. Extremis ramis innascuntur *foliola* viridia glabra complicata hæmisphoerii figuram referentia, e quibus tanquam involucris egrediuntur *flores*, tres quatuorve uni petiolo inhærentes, parvi pallidi tubulosi, qui in duo subcœrulea segmenta & terna pallida concava foliola calicem mentientia solvuntur. Singulos flosculos excipiunt *vascula* parva oblongo rotunda, trigona, in quibus terna spadicea *semina*, in singulis loculis unum nonnunquam in universum duo tantum imo & quaterna, continentur. *Flores* & *semina* quoque intra terram crassioribus radicis fibris adnascuntur, unde *amphicarpon* cognominatum. Sed fibræ isthæc potius rami e caulium nodis in terram descendentes videntur. Plantæ herbaceus *sapor*, *odor* nullus. In hypocaustis nisi asservetur hyeme, perit, ineunte tamen æstate e seminibus sub terra latentibus repullulans.

In Icone caulis intermedius erectior exhibetur, quia pictor Iconem ad plantam in fictili cultam expressit, in quo restincta; radicum luxurie, caules & ramuli robustiores facti nonnunquam magis attolluntur.

EPHEMERVM *Malabricum procumbens subrotundis foliis* Veetla-caitu *Hort. Mal. part. 7.*

Hujus *flores* in Horto Malabarico hexapetali dicuntur. Forsan intelligendi sunt flores cum suis caliculis, nempe tribus petalis florem totidemque calicem describentibus.

EPHEMERUM *Zeylanicum procumbens cristatum.* Bolhinda *Zeyl.*

Pulchellum hoc *Ephemerum* frequens mihi occurrit in arborum senio confectarum truncis, lignis putridis, aliisque udosis & opacis locis Malabaræ & Insulæ *Zeylan.* A proxime præcedente Malabarico *Veetla-Caitu* licet nihil differre videatur, nisi quod complicata foliola quæ florum involucra sunt in cristam congesta sint; tamen in gratiam eorum, qui specierum varietate delectantur ejus iconem & descriptionem e Collectaneis meis Zeylanicis excerpere & exhibere non piguit. *Cauliculi* striati in viridi subrubentes valde ramosi & nodosi ultra cubiti longitudinem vario flexu prorepunt, albidis tenuibus radicosis fibris ex singulis ferme internodiis descendentibus

bus. Hos gramineo pene ritu aliquousque obvestiunt *folia*, Malabarico minora, in hilari vivore obscure rubentia vel prorsus viridia altera parte pallidula & juxta longitudinem velut cauliculi, striis insignita. E caulium ramorumque geniculis assurgit *pediculus* sesquidigitalis, ima parte nudus, media ad summam usque speciosissima *cristata spica*, quæ ex angusto principio in latiusculum reflexum verticem laxatur, ornatus. Conflata hæc est è numerosis complicatis foliolis formam hæmisphoerii exprimentibus, glabris viridibus & ad oras nonnunquam rubentibus, gemino versu, sed in superno duntaxat pediculi latere locatis. Perficiuntur & marcescunt alternis vicibus, infima primùm, summa postremùm. Differunt quoque magnitudine, quo enim inferiora, eo minora & quo superiora, eo majora sunt. His involvuntur *flosculi* pusilli, in sex segmenta divisa quorum tria coerulea florem, reliqua pallidula calicem constituunt. *Semina* angulosa spadicea in tricapsularibus oblongo rotundis vasculis continentur. *Gustus* deprehenditur aqueus & in recessu subdulcis. Indi expressum plantæ succum in morbis calidis tanquam temperans & refrigerans exhibent.

EPHEMERUM *Indicum bipetalum procumbens obtuso folio pediculo alato.* Ephemerum *Benghalense serpens folio subrotundo brevi phalangoides Pluckn. Tab.* XXVII.

An hoc Idem sit cum *Ephemero Africano flore bipetalo Hort. Lugd. Bat.* & *Dipetala Virginiana foliis Gentianæ aut Plantaginis Raj. Hist.* atque etiam *Gentianella Indica Bontj.* ambigit Plucknetius l. c. *Africanum Ephemerum* convenit cum *Dipetala Virginiana*, à *Benghalensi* vero diversissimum est. Hoc in Zeylan & Malabar locis umbrosis frequenter legimus, & postmodum etiam ex semine natam conspeximus in horto P. M. Illmi *Casparis Fagelii*, quondam in nobili Abbatia vulgo Lewenhorst exstructo. *Africanum* hodienum in Belgarum hortis colitur. De *Gentianella Indica Bontii* nihil statuo. Ejus ico manca est, & descriptio omni ex parte rudis & imperfecta.

EPHEMERUM *Mexicanum erectum serrato folio.* Matlalyztic Tetzocana. *Triorchis Mexicana Rech.*

Huic

HUic non multum absimile, si non idem, est,

EPHEMERUM Phalangoides *Virginianum majus erectum.* Pseudophalangium *ramosum majus erectum D. Banister Cat. Stirp. Virgin. Plucken. Tab.* CLXXIV.

Ad Ephemera quoque pertinere videtur planta è seminibus Noveboracensibus nobis nata & indicta:

EPHEMERUM *erectum Noveboracense Cardamomi foliis.*

Radice constat perenni reptante multisque albentibus surculosis fibris cohærente Caulibus geniculatis pedalibus digitum crassis; *Foliis* alternis *Cardamomo* majori paribus subtus pallentibus. De *Floribus* nihil habeo compertum, quamvis in horto per aliquot annos luxuriosè viguerint.

Ephemeris forsan annumerandæ veniunt plantæ quædam à *Rechio* & *Hernandez* propositæ, videlicet.

Coa-

Coapatli *Asphodelina Rechii*

Acaxaxan *seu planta palustris & lenta*, quæ statim comprimentibus cedat digitis. **Potamogeton** *Mexicanum* 1 *Rechii*.

Acaxaxan *Potamogetum Mexicanum* II. *Rech*.

Acaxaxan *Hern. Terent.*

Acaxaxan 1. persimilem plantam pinxit *Pluck. Tab.* XXVII. nomine *Ephemeri Matraspatnensis minimis foliis perangustis perfoliati*, cui quoque nomen *Acaxaxan* 1. subscripsit. Videantur, quæ de tribus hisce *Acaxaxan* speciebus commentatus est *Fab. Columm. in Annot. & Add. in Rechium.*

Ephemeri, quoque nomine exhibuit *D. Pluck. Tab.* CLXXIV. quatuor sequentes species.

EPHE-

EPHEMERUM *Phalangoides Virginianum flosculis arbuteis bullatis aureis in spicam dispositis.* Phalangium *spicatum flosculo arbuteo bullato aureo* D. Banister.

Hoc in numerum potius Phalangiorum quam Ephemerorum inscribi meretur.

EPHEMERUM *Phalangoides erectum foliis liliaceis bulbosum flore flavescente*, Cap. Bon. Sp. ex Codice Comptoniano.

E semine natum floruit in Horto Medico Amstelodamensi & *Sisynrichium Africanum flore luteo tetrapetalo* vocatum est.

EPHEMERUM *Lychnidis flore Africanum* ex Codice Comptoniano.

Ab *Ephemeris* toto cœlo differens succrevit mihi seminibus à *D. Henrico Bernardo Oldenlandio* è Promontorio transmissis. Ea erant nigricantia depressa membranacea Tuliparum seu Liliorum instar. Capsulæ oblongæ *Papaveri erratico pyrænaico flore luteo C. Baub. Prodr.* similes, sed glabræ utroque extremo angustæ, medio turgidæ, summâ parvo

umblico præditæ, intus duobus loculis instructæ, quos distinguebat membrana nigricans pinguis saporis acris caryophyllaceum quid redolentis. Postquam duo foliola subrotunda in cœruleo pallentia prodiissent, paulo infra hæc (neutiquam ex horum sinu, ut communiter usu venit) pullulabant aliquot cauliculi tenues nodosi, & in progressu nonnihil lignosi, & ad singula genicula foliis oblongis glabris crassiusculis obtusis glaucis, alterno ordine sed binis sæpe uno versu obsitis. *Flores* tetrapetali fructubus insidere videbantur ob inclementiam vero nostri cœli integros & perfectos hactenus observare nondum contigit. Amandanda est ad bicapsulares tetrapetalas hæc planta.

EPHEMERUM *Zeylanicum Alsinæ mediæ folio procumbens.*

Quod compilator *Parad. Bat. Prodr.* hoc nomine proposuit & *D. Plucken. Tab.* CLXXIV. ad exemplar siccum à me *D. Sherardo* communicatum pinxit *Graminis dactyli* non *Ephemeri* species est.

ERY-


p. 155.
ERYSIMUM
Ires affinis Siliquis
Subincanum.
37

ERYSIMUM *foliis subincanis, siliquis brevissimis. An* Sinapi *peregrinum Erucæ folio Schol. Bot. Par.?*

Ex *radice* fibrosa pallida exurgit *caulis* ramosus, asperis pilis vestitus, duos pedes altus, *Folia* Erucæ sativæ modo divisa sunt, at latiora asperiora, pilosa & subincana; inferiora palmum lata & interdum ampliùs; superiora angusta. *Flores* tetrapetali lutei, exigui, secundum ramulorum longitudinem quasi in spicas dispositi, quos excipiunt *siliquæ* tenues & breves erectæ, caulibus strictè appressæ, bivalves cum membrana tenui intermedia, ex duobus quasi articulis constructæ in oblongum & obtusum mucronem desinentes. Petiolo insident contiguitatem habente cum membrana intergerina, qui quasi tertium articulum refert. Provenit *seminibus* parvis flavescentibus ex Lusitania acceptis.

Est & alia huic non multùm dissimilis, cui *folia* multò ampliora, crassiora non hirsuta; *Caules* elatiores, ramosi, glabri, raris subinde brevibusque pilis exasperati *flores* tetrapetali, coloris quam præcedentis, magis saturati, Siliquæ breviores, ramulis seu cauli minus strictè junctæ. Hæc quoque ex seminibus Lusitanicis prodiit. Prioris folia

lia ſapore remiſſiore prædita ſunt quam poſterioris, utriuſque tamen ſapor nihil aut parum habet acredinis.

Quatuor potiſſimum Plantarum generibus attribuitur à Botanicis nomen *Eupatorii*. *Primùm* Chryſanthemis ſecundi generis, ſeminibus duabus ut plurimum ariſtis præditis, quorum tres ſpecies præter eas, quæ ab autoribus nomine Cannabinæ Verbeſinæ aliove deſcriptæ ſunt, ſupra propoſuimus. *Deinde* Ageratis & quidem illi imprimis ſpeciei, quæ à Caſp. Bauh. *Ageratum foliis ſerratis* dicitur, & in quibuſdam Medicorum officinis pro *Eupatorio Meſues* habetur. *Tertio* Agrimoniæ officinarum. *Denique* ab hujus ſæculi Botanicis adſignatur Plantis pappeſcentibus, floribus parvis in umbellæ formam congeſtis, ſtaminulo bifido ex ſingulis ſeſe exerente, foliis ut plurimum conjugatis, in quibuſdam tribus quatuorve, ſingula genicula ambientibus. Harum una tantum ſpecies proponitur in Pinace C. B. nempe *Eupatorium cannabinum*, cui in *Flora Batava* ſuperadditur altera ſpecies, nempe *Eupatorium cannabinum floribus albis*, quod prioris potius varietas eſt.

Cornutius attulit tres ſpecies, duas nomine *Va-*

le-

leriana Urticæ folio, & in catalogo Hort. Lugd. Bat. *Eupatorii* dictæ, unam nomine *Eupatoriæ Enulæ folio* quæ aptius *Eupatorium Salviæ folio* appellari meretur.

Plures alias exhibet *D. Pluckenetius in Phytographia*, quæ omnes an ad *Eupatorii* familiam attineant, asserere non audeo. Cum singulas vidisse nondum licuit. Minime tamen reticere volui, Synonyma nonnulla, quæ *Pluckenetius* Eupatoriis suis subjecit, iisdem haud convenire.

Primo enim *Serratula Noveboracensis folio leviter crenato molli incano Par. Bat. Prod.* & *Cattuschiragam Hort. Mal. part.* 2. (quæ à Breynio in Prodr. *Jaceæ & Serratulæ adfinis capitulis Baccharidis*, & in Prodr. 2. *Serratula Indica latifolia mollis* dicitur) duæ & inter se distinctæ plantæ sunt, odoris expertes & ab *Eupatoria Conyzoidi odorata folio crenato molli subincano Pluck. Tab.* 87. diversæ.

Secundò, Eupatorium *Novæ Angliæ Stachidis seu Betonicæ foliis crenatis floribus albis Par. Bat. Prod.* cujus iconem mox exhibebimus cum icone *Eupatorii Americani Melissæ foliis magis acuminatis Pluck. Tab.* 87. non convenit.

Tertiò, Conyza *major alata foliis Primulæ veris*

longe amplioribus graviter odoratis Triumfetti, quam *Pluck. Tab.* 87. cum *Eupatoria Conyzonide maxima Canadensi foliis caulem amplexantibus* eandem statuit, legitima species *Conyzæ minime Eupatorii* est, ut supra ostendimus.

Quartò, Jaceæ & Serratulæ *affinis Breynii* in Hort. Lugd. Bat. App. picta eadem est, quæ in Hort. Mal. part. 2. sub appellatione *Cattuchiragam* exhibetur & ab *Eupatorio Conyzoide integro Jacobeæ folio glabro & duriusculo Indiæ Orientalis* Pluck. Tab. 87. & ab *Eupatoria Conyzoide integro Jacobeæ folio Molli & incano Indiæ Orientalis* Pluck. Tab. 177. diversissima.

Quintò, Virga *aurea humilis Alpina Moris*. Virga *aurea folio Veronicæ Mentz. Pugill.* & *Eupatorium humile Africanum Senecionis facie, folio Lamii Par. Bat. Pr.* & *Pluckn. Tab.* 88. tres distinctæ plantæ sunt, invicem non confundendæ.

Nos species *Eupatorii* quatuor in Belgarum Hortis hactenus cultas proponemus.

EUPATORIUM *Novæ Angliæ Urticæ foliis floribus purpurascentibus maculato caule. Hort. Lugd. Bat. App.*

Eupa-


EUPATORIUM
Urticæ folio

E*upatorio* cannabino C. B. humilius est, altitudine sesquicubitum vix excedens. *Radices* agit oblique pallidas surculosas, numerosis fibris comatas, è quibus *caules* eriguntur glabri solidi rotundi punctis lineolisve puniceis undique respersi & ad singula genicula *foliis* quaternis rarius ternis urticæ majoris foliorum æmulis sed crassioribus minusque crenatis circumdati. *Flosculi* situ & habitu *Eupatorio* prædicto similes sunt, plures nempe ex uno folioso oblongo capitulo tanquam calyce prodeunt, singuli vero ex rubente quinquifido tubulo & concolori bifurcato stylo contexti sunt. Hi Septembri mense evanescunt in pappum, quo tempore & caules exarescunt sola remanente radice, quæ in sequenti æstate regerminat. Tota planta acris amari & ingrati saporis est, odorisque debilis. Qui semina ex Nova Anglia ad nos mittebat radici gratum aromaticum saporem adscripserat, quem tamen in ea quæ ex semine nata erat deprehendere non potui. Idem observare est in *Valeriana urticæ folio flore albo Corn.* Hujus namque radicem Nardum redolere asserit *Cornutus*, cum in ea quæ in hortis colitur, odor nullus percipiatur. Ita pro vario cœlo & solo varium quoque est ingenium plantis.

EU-

EUPATORIUM *Novæ Angliæ Betonicæ foliis villosis flore albo.*


Cum primùm ex seminé pullulasset planta tota incanis & lanuginosis villis pubescebat, ut *Stachidem* potius quam *Eupatorium* dixisses. Adultior facta fere tomentum omne evanescebat. *Caulibus* est pedem altis in aliquot ramos & hi rursus in minores divaricatis, nunc solitariis nunc conjugatis singulis sustinentibus *flosculos* congeneribus similes exalbidos in pappum abeuntes. *Folia* Betonicæ aut Mentastro respondent rugis & villis exasperata. *Caulis* parti inferiori bina ex opposito in progressu vero & ramulis solitaria hærent. *Radix* fusca est fibrosa & annua. Gustu & odore evidenti videbatur destituta.

In Prodromo Par. Bat. vocatur. *Eupatorium Novæ Angliæ Stachidis seu Betonicæ foliis crenatis floribus albis*. Breynius qui in Horto Lugd. Bat. vidit in Prodr. 2. nominat *Eupatorium Americanum Nepetæ folio angustiori subaspero floribus albis longioribus*.

Enata nobis est ex seminibus quæ inter alia absque adscriptione nominis ex Nova Anglia recepimus.

EUPA-


p 190
EUPATORIUM
Betonicæ folius


EUPATORIUM
Senecionis facie
folio Lamii

EUPATORIUM *humile Africanum Senecionis facie, folio Lamii.* Senecio *Americanus Lamii facie Schol. Bot. Par. An* Eupatorium *Americanum Nepetæ folio latiori, floribus albis brevioribus Breyn. p. 2?*

De patrio solo hujus *Eupatorii* nihil certi nobis constat. Honestissima Domina *de Block* in cujus Horto primùm conspeximus, semina hujus ex Mauritania ad se delata esse referebat, Opacis maxime gaudet, in his altius assurgit quam in iis, quæ solis radiis sunt opposita. Profert *cauliculos* tenues infirmos altitudinis palmaris aut pedalis, ad singula genicula binis ex adverso ramulis & juxta hos totidem *foliis* Lamii æmulis sed mollioribus tenuioribus & rotundioribus adornatos, Ramulis proceritate caules sæpe superantibus. Apices comantur *flosculis* albis lanugineis in capitula *senecionis* instar congestis, quibus emarcidis succedunt *semina* parva nigra incano pappo cristata. *Radix* annua est è tenuibus fibris cohærens.

Quid de Synonymis à *D. Puckenetio* Eupatorio huic subscriptis sit sentiendum, supra innuimus.

EUPATORIUM *Americanum Amaranthoidis Indici majoris foliis,*

Inter quamplures plantas, cura Illustrissimi à *Beaumont* è Corassavia Insula advectas, & in ejusdem viridario florentes, observavimus. Partibus omnibus incana hirsutie pubescebat ut per initia potius *Lychnidis coronariæ* aut *Amaranthoidis Indici majoris* quam *Eupatorii* genus referre videretur, *Caules* binorum palmorum altitudine surgebant in aliquot ramos brachiati, albidisque discoideis *flosculis* in umbellæ formam collectis ornati, *Folia* caulibus hærebant absque pediculis conjugata, prædictæ *Lychnidi Amaranthoidi* perquam similia, latitudine pollicem, longitudine semidigitum complentia & in obtusum mucronem desinentia; *Semina* congenerum ritu pappescebant. *Radix* è fibris contexta perennavit. *Sapore* & *odore* singulari nullo constabat.

In Prodromo 2. *Breynii* vocatur *Eupatorium Americanum tomentosum Lychnidis coronariæ foliis & facie, flore albo*. In Catalogo Horti *Beaumontiani* Eupatorium hocce non reperitur, quanquam ad tertium annum in eodem horto viguerit.

Quid de tribus *Eupatoriis* in *Breynii Cent.* 1. propositis, censendum sit, alibi edocebimus.

FE-


FERULA
Galbani fera


FERULA *Africana Galbanifera ligustici foliis & facie.* Ferula *fruticosa semper virens foliis Anisi Par. Bat. Pr.* Anisum *Africanum fruticescens folio & caule rore cœruleo tinctis. Pluck. Tab.* XII. Oreoselinum *Anisoides arborescens Ligustici foliis & facie, flore luteo. Capitis Bonæ Spei. Breyn. Pr.* 2.

Genuina illa planta, quæ *Galbanum officinarum* fundit, nostri sæculi Botanicis nondum innotuit. *Ferulaceam* esse veteres docent omnes, quænam vero species sit, non constat. Eo equidem nomine Plantam pinxit *Lobelius*, è semine lato foliaceo aromatico in *Galbani* lachryma Antwerpiæ reperto natam, quæ an *Galbanum* unquam stillaverit nec *Lobelius* nec alii tradunt. Si Lobeliana planta ea ipsa sit, quæ *Casp. Bauh. in Pin.* Ferulago *latiori folio* nominatur, & in hortis nostris frequentatur, certum est eam succum *Galbano* similem haud quaquam fundere, licet odor ejus *Galbano* valde similis deprehendatur. Incertum autem est, an *Ferula*, quam nunc exhi-

hibemus, legitima illa sit, è qua antiquorum aut officinarum *Galbanum* emanat, ut ut ex caudicis geniculis aliquando lachymam collegerimus *Galbano Officinarum* simillimam. Præterquam enim quod prisci non ipsam Plantam sed *Galbanum* tantum descripserint, plures extare possunt stirpes, quæ succum *Galbano* similem stillant, ut de variis lachrymis quæ inter se conveniunt & è diversis stirpibus leguntur, nobis compertum est.

Ferulæ igitur Africanæ *caules* pollicari crassitie ultra tres quatuorve cubitos eriguntur; Annui non sunt ut cœterarum Ferularum, sed perpetui lignosi rotundi glauco rore obducti, quo etiam *folia* perfusa sunt, geniculati, albida duriuscula medulla farcti, & in ramos aliquot brachiati, quorum cacumina occupant *flosculi* lutei pusilli ferulacei in umbellam conglobati. Hos excipiunt *semina* oblonga striata paululum depressa fusco spadicea & in ambitu velut *Ferulæ*, tenui membranacea ala circumdata. A *Legustici* seu *Levistici* seminibus non aliter differunt, quam quod hæc profundioribus sulcis inscripta sint, & membranaceo margine destituantur. Singula caulium ramorumque internodia teguntur foliacea quadam valvula è qua egrediuntur *folia* Levistici foliis paria, sed rigidiora

&


FERULA
Tingitana
Lucida.

& læto dilutiorique virore ſplendentia, Lobis extremo ambitu aniſi foliorum inſtar inciſis. *Radix* craſſa eſt lignoſa pallida in aliquot fibras brachiata. Planta perpetuæ viriditatis eſt, & ſine magno labore in hybernaculis ſuſtentatur. Per Ramulos quocunque modo cultos hactenus multiplicari non potuit; Facilius verò per ſemina, quæ ferventiori æſtate in Belgio matureſcunt. Acredine aromatica ſat penetranti guſtantium linguam perſtringit. Sauciata *Lac* fundit viſcidum ſed dilutius & paucum, in lachrymam Galbano omnibus notis reſpondentem concreſcens. E trimuli quadrimulive caulis geniculis ſua ſponte nonnunquam emanat.

FERULA *Tingitana folio latiſsimo lucido. Hort. Edinb. Sutherl.* Ferula *Tingitana lucido folio, Apii ſegmentis. Breyn. Pr. 2.*

Ferulæ hujus copiam nobis fecit *Cl. D. Jac. Sutherlandius* Horti Medici Edinburgenſis præfectus digniſſimus, qui ſemina ex Tingitanis agris collecta acceperat. *Radice* firmatur brachiata, magna, nigrâ cute obducta, intus albida, bima, nonnunquam trima facta, *caulem* protrudit in plures ramulos expanſum, *Ferulæ fœminæ Plinii C. B.* proceritate & craſſitie nonnihil minorem.

Folia insigni virore splendent, quasi vernice essent obducta, & à sole vibrata oculos perstringunt. Horum segmenta *Apii* segmentis magnitudine & incisuris non malè respondent, sed crassiora sunt & rigida. Pediculi in latam membranam folliculum efformantem diducuntur, & ramos è caulium nodis oriundos aliquousque involvunt. *Flores* luteoli in umbellatum orbem conglobati, & *semina*, maturitate penè nigrescentia, à congeneribus nihil ferè discrepant. *Sapore*, *odore* & temperamento *Ferulæ fœminæ* paulo inferior est.

Hæc quamvis perennet, nec ab hyberno frigore facile lædatur, soboles raró gignit, ideoque seminibus, quæ Autumno perficiuntur, propaganda est.

FICOIDES *Africana erecta teretifolia floribus albis umbellatis.* Ficoides *seu Mesembrianthemum Africanum frutescens floribus albis parvis umbellatis. Pluck. Tab.* CXVII.

Locis maritimis arenosis Promontorii Bonæ spei sponte oritur egregia hæc *Ficoides*. Hortis nostris familiarior est quàm cœteræ hujus generis spe-

FICOIDES
Erecta teretifolia

p.166



ſpecies. Nam quanquam hybernis menſibus locis à gelu liberis aſſervari poſtulet, quaſvis æſtivi aëris tempeſtates innoxie ſuſtinet & per ramulos cuivis ſolo commiſſos facillime propagatur. *Caules* erigit pedales aut ſeſquipedales lignoſos rotundos geniculatos ramoſos. Duobus ramis ſemper ſibi oppoſitis. Qui adultiores ſunt membranaceo & in fuſco caſtaneo cortice induuntur. Juniores in pallido vireſcunt. Geniculis adhærent *folia* ex adverſo duo propemodum trigona ſuccoſa & carnoſa, quorum inferiora craſſitie calamum ſcriptorium, longitudine dimidium digitum impleat; Cœtera ſenſim gracileſcunt. *Ramuli* ſparguntur in tres pedicellos ſuſtinentes *flores albos* Bellidis Sylveſtris minoris floribus paulo minores, qui è numeroſis candidis anguſtis petalis, & intermediis concoloribus apicularis ſtaminulis contexti ſunt. Hi ea ſerie & copia prodeunt, ut perpulchræ umbellæ ſpeciem exprimere videantur. Singulis ſubjicitur *calix* craſſiuſculus viridis quinquifidus, in quo emarcido flore conſpicitur *fructus* congeneribus ſimilis parte ſuperiori in quinque cellulas *ſeminibus* cineraceis parvis duris arenæ inſtar refertas diviſus. *Radix* tenuis eſt lignoſa candida multis fibramentis capillata. Ab exortu Vergiliarum ad Autumnum uſque floret, eodem-

demque tempore favente cœli mollitie semina sua perficit.

FICOIDES *Africanum luteum procumbens longissimis foliis.*

Nec hoc *Ficoidis* genus cœlum nostrum & solum renuit. Nam & seminibus & avulsis ramulis facillime succrescit & perficitur. Hujus *semen* terræ injectum, postquam intumuerit in duo crassiuscula orbiculata *foliola* laxatur, è quorum sinu alia atque alia semper sibi invicem opposita egrediuntur; Hæc ubi adolescunt longitudinem & crassitiem digiti nonnunquam excedunt. Rigida vero & glauca non sunt ut in præcedenti specie, sed mollecula flaccida viridia repentia teretia aliquando trigona & in obtusum depressum quasique ensiformem mucronem abeunt, brevibus quibusdam eminentiis quasi dentibus nunc ex horum medio nunc prope exortum nunc ad ipsas extremitates protuberantibus. *Caules* ex unica *radice*, quæ parva albida & fibrosa est, profert ut plurimum tres quatuorve, sed perbreves, & densa conjugatorum foliorum serie circumdatos. Ex horum alis prodit *flos* petiolo semidigitali innixus, magnitudine floris *Taraxaci*, inter initia totus luteus,

teus, & ubi flaccescere incipit ruber aut coccineus. Multis constat angustis petalis & intermediis aliquot tenuissimis filamentis velut disco. Hæc ad Solis accessum in orbem expanduntur, ad recessum vero contrahuntur. *Fructus* congeneribus similis est multicapsularis & orbiculatus, magnitudine *cerasum* æquans continens *semina* parva spadicea dura. Solum amat laxum siccum & arenosum, udum compactum & pingue aspernatur.

FICOIDES *Africana Annua Centauroides.*

Natalium ortu, temperamenti harmonia & partium dispositione *Ficoidibus Africanis* cognata planta, dimidii palmi altitudinem vix exsuperat. *Radice* constat annua parva albida fibris perpaucis capillata, tellurisque summo oblique inhærente, *Coliculo* tenui quidem ast dum adolescit duro & pene lignoso glauco geniculato, nunc recta nunc oblique se ab humo protollente & summitatem communiter in tres ramulos quasi pedicellos, quibus *flores* insident, diviso. Hi per initia floribus *Centaurii minoris*, postmodum *Sedi montani tomentosi*, quod *Gnaphalodes* & *Arachno-*

des vulgus appellat, quadantenus conformes sunt, ast coloris pulchre miniati in luteum fatiscentis sed petalis quinque nonnunquam quatuor in basi junctis & in acumen extenuatis constructi, medium occupantibus aliquot brevibus viridantibus staminulis croceis apiculis exornatis. *Calix* pentagonus in quinque cuspidata folia exiens; *fructum* præcedenti similem sed multo minorem includit, in quo *semina* minuta scobis instar apparent. Singulis coliculi geniculis conjugato ordine adnascuntur *folia* minime angulosa sed plana *Centaurii minoris* foliis paria ast crassiora multo & succosa glauco colore velut circinnatum *Sedum* nitentia. Linguæ sensum nullo singulari *sapore* nisi aqueo afficit.

FICOIDES *Africana annua minima muscosa.*

Omnium minimam hanc *Ficoidis* speciem primo intuitu *Alsinem Aizoidem* diceres, ubi vero penitius examinaveris à præcedente non aliter differre agnosces nisi exilitate partium & colore, qui viridis est aut in viridi nonnihil ruffescens. Pro *radice* habet tenuissimos capillos summæ telluri inhærentes, è quibus sparguntur *coliculi* graciles plurimam partem humi jacentes longitudinis digi-

digitalis in ternos plerumque ramulos divisi. His hærent *foliola* Alsinæ minimæ paria ast crassiora succosa, & præcedentis foliis multo tenuiora. Summi ramuli decorantur *flosculis* perpusillis muscosis albidis quinquifidis, plurimis parvæ umbellæ specie simul junctis & quinquifidis caliculis flosculos exuperantibus circumvallatis.

Hæc atque proxime antecedens, ex semine natæ Julio Mense in Horto meo floruerunt sed postquam Augusto insequente ad frugem pervenissent penitus contabuerunt.

Præter exhibitas has *Ficoidum* species duæ aliæ nobis enatæ sunt, quarum hic loci meminisse oportet. *Prima* appellari potest.

FICOIDES *Africanum erectum spinosum*.

Ficoidi *Africanæ minori erectæ folio triangulari glauco flore lúteo* valde simile est, sed *folia* in superficie multis cavis punctulis inscripta erant, &, quod hoc in genere rarum & insolitum, ramuli, in quos cauliculus separabatur ad alas pungentibus spinis armabantur, spinis in medio duobus ex opposito foliolis cœteris multo minoribus prædictis. Hæc cum altitudinem circiter palmi adepta esset vermiculo arrosa non sine dolore meo in-

interiit. *Altera* quæ in horto meo adhuc viget dici meretur.

FICOIDES *Africanum triangulari robustissimo folio.*

F*olius* est inter omnes quæ hactenus innotuerunt *Ficoides* robustissimus glaucis trigonis rigidis, digitum longis, pollicem crassis, multis ut prior in superficie foraminulis non perviis insignitis, cœterum tardissime germinat, nam trienni spatio vix digiti longitudinem assecuta est. Utriusque fructus quinquecapsularis erat.

Has *Ficoidis* species debemus *Doctissimo Oldenlandio* qui quatuor priores ad Promontorium bonæ spei, duas posteriores in Heycon Africæ primus detexit earumque semina inde ad nos transmisit.

De Flore quem ob signa passionis Domini nostri quæ refert, *Florem passionis* vocant, veteres omnes siluerunt. Is primum ab Hispanis subjugata America detectus est. *Nicolaus Monardus* & *Petrus Cieca*, qui plantis indagandis operam dederunt unius tantum speciei, nomine *Granadillæ*, meminerunt. *Gerhardus Marckgravius* septem species, *Murucujæ* appellatione, ex-


FLOS PASSIONIS
albus

exhibet. *Guilielmus Piso* decem ſpecies à ſe repertas aſſerit, quanquam quinque tantum deſcripſerit. Aliam producit *Nardus Antonius Rechus*, quam *Coanenepilli* ſeu *Contrayervam* nominat. *Muntingius*, præter *Contrayervam*, duas pinxit, quarum *Marckgravius* & *Piso* non meminiſſe videntur, unam nempe *campanulato flore*, & alteram *Hederaceam flore luteo*. Plures à laudatis auctoribus non ſcriptæ venuſtate tamen & raritate inſignes ex America in Belgium illatæ ſunt cura & impenſis Illuſtriſſimi & omni prædicatione majoris Viri *Simonis à Beaumont* in cujus amœniſſimo viridario inter alia florea miracula viguerunt. Harum ſpeciès aliquot recenſet *Breynius* in *Prodr.* 2. Nonnullas delineavit *Pluckenetius in Phytographia*. Nos tres ſpecies quarum icones à multis ab hinc annis æri inſculpi curavimus, proponemus. *Prima eſt*

FLOS PASSIONIS *albus reticulatus*. Flos Paſſionis *Curaſſavicus Hederæ hirſuto folio flore albo Par. Bat. Pr.* Flos Paſſionis *Althææ folio lanuginoſo longiore fœtidus flore decapetalo & filamentis niveis fructu veſicario &* Idem *filamentis ex al-*

bo & purpureo colore variegatis Breyn. Pr.2. Passiflora *vesicaria Hederacea foliis lanuginosis odore tetro filamentis florum ex albo & purpureo variegatis Pluck. Tab.* 104.

Non Americæ insularum tantùm sed & continentis indigena planta, habitu pilosa, tactu mollis; & odore *Daturam* inter & *Hyoscyamum* medio, gravis est, Graveolentior multo & hirsutior in Patrio solo, quam quæ ex semine in hortis nostris colitur. Ast, hoc plurimis stirpibus commune, ut mutato solo & cœlo habitum non tantum, sed & ingenium mutent. *Viticulis* tenuibus ramosis prælongis latissime exspatiatur, suisque *capreolis* ex foliorum alis egressis vicina quævis arripit & involvit. *Folia*, è latiori cordata basi in conum porrecta, lanceam imitantur, ima palmum circiter lata, & sesquidigitum lónga sunt, cœtera sensim gracilescunt. Quædam integra, quædam in duos à latere angulos tanquam lobos insecta sunt, ut, si mucronem addideris, trilobata videantur. Ex horum sinubus prodeunt tria oblonga viridantia hirsuta multifida foliola reticuli speciem referentia, quibus tanquam *calycibus* flores & fructus irretiuntur. His partibus multa est simi-

similitudo cum *Nigella* quam *Melanthium Damascenum* pleno flore *Clusius* appellat; ast minor est *fructus*, *flos* major, qui decem constat petalis, quinque exterioribus infra virentibus, supra candicantibus & totidem interioribus emaculato candore utrinque nitentibus. His incumbunt filamenta in orbem rotata candida & nonnunquam violaceis purpureisve punctulis ad exortum interstincta. Hinc duæ varietates in *Prodr. 2. Breyn.* proponuntur. Reliqua, columella nempe, capitati clavi, & pendulæ lamellæ subluteo in viridi polline aspersa sunt. Tempore matutino flos hiat, meridiano se contrahit & contabescit, columellæ globulo è quo se fructus perficit & reticulato calyce qui fructum involvit, remanentibus. Is folliculi instar inflatus est viridis, tribus per longitudinem lineis inscriptus continens *Semina* depressa pyriformia nigra superficie scabra quasique granulata, interiori folliculi parti adnata *Radix* subest parva candida, reptantibus fibris capillata, annua & si in hybernis diligentius colatur, nonnunquam perennans. An in America edulis sit fructus non constat, qui in Belgio maturescit, insipidus & absque pulpa deprehenditur. *Altera* est

FLOS

FLOS PASSIONIS *albus folio Ibisci ſericeo trilobato.* Flos Paſſionis *Althææ folio lanuginoſo flore decapetalo parvo albo filamentis purpuro violaceis & Idem foliis magis ſerratis. Breyn. Prodr.* 2. Paſſiflora *non crenata Americana triphylla ex codice Bentingiano Pluck. Tab.* ccxii. Hedera Murucujæ ſpecies *veſicaria lanuginoſa odoris gravis Marckgr.* 73. Flos Paſſionis *Coraſſavicus Hederæ hirſuto folio, fl. Purpureo variegato Par. Bat. Pr.*

Hedera, *Murucujæ* ſpecies veſicaria odoris gravis *Markgr. in Prodr.* 2. *Breynii* & *Phytographia Pluckenetii* priori ſpeciei attribuitur. Aſt cum in Hiſtoria Marckgraviana nulla facta ſit mentio reticulati calycis, eaque ſecundæ ſpeciei per omnia reſpondeat, id nominis potius huic quam illi competere videtur. *Foliorum* lobi variant, nunc majores ſunt nunc minores, nunc in ambitu levius nunc profundius crenati. *Calyx* tribus parvis foliolis ſed integris conſtat. *Fructus* ipſi non videmus ſimul ac enim in hortis noſtris unum alterumve florem protulit, interiit, illum tamen priori ſimilem ex America reduces aſſerebant. Proinde nondum nobis compertum eſt num annua num perennis planta ſit; Sed ſatis fuerit hu-


FLOS PASSIONIS
hirsuto folio flore
purpureo variegato.

hujus iconem à *Marckgravio* omissam exhibere. *Tertia* est

FLOS PASSIONIS *flore & fructu omnium minimis.* Flos Passionis *Curassavicus folio glabro trilobato & angusto flore flavescente omnium minimo Par. Bat. Pr. & Pluck. Tab.* x. Flos Passionis *trifido folio flore minimo pentapetalo viridi fructu minimo nigro molli Breyn. Pr.* 2.

P*assiflora* hederaceæ flore luteo adeo similis est hæc planta ut separata historia & icone vix indigeat, cum præter partium exilitatem in paucis tantum ab ea deflectat. *Folia* glabra in tria profunda & angusta segmenta divisa sunt, superiori reliquis productiori. *Flos* totus viridis partibus omnibus minor. *Cauliculi* ima præsertim parte & qui annosi sunt fungoso cortice obteguntur. *Fructus* baccam refert, tactu mollem, maturitate nigram, amplitudine granum piperis nonnihil superantem, cujus viscida concolor pulpa parva fusa oblonga semina continet. *Radix* tenuis late proserpens perennis est, quotannis novas soboles emittens.

Clematidem Americanam digitalis flore, siliquosam monophyllon majorem & minorem Par. Bat. prodr.

 legi-

legitimam esse speciem *Floris Passionis*, ex ramulis siccis cum floribus ex Sirinama receptis, agnovi, *Folia* Clematidi Americanæ tetraphyllæ ampliora sunt cœteroquin valde similia. Majoris *Flos* decapetalos est & amplitudine *Florem Passionis* pentaphyllum æquat, filamentis intermediis pulchre variegatis quasique tessellatis. Minoris *Flos* tubulosus & ad oras in novem & decem segmenta divisus est, ast filamenta in medio nullâ apparebant. Uterque rubro eleganti colore nitet; Color verò Columellæ clavorum & lamellarum in neutro discerni poterat.

GERANIUM *Africanum tuberosum Anemones folio, incarnato flore.* Geranium *Æthiopicum Myrrhidis folio tertium, flore magno striato Breyn. Cent.* 1.

Venustissimi & ab Anthophilis expetitissimi hujus *Geranii Africani* historiam & iconem dedit *Breynius l. c.* in his cum singula expressa non sint, minime supervacaneum opus me facturum opinor, si pleniorem & perfectiorem historiam, additâ quoque icone nostrâ ad vivum expressa, proponam. Subsistit igitur *radice* crassa tuberosa, multis fibramentis in

no-


GERANIUM
Anemones folio

nodulos extuberantibus capillata. *Folia* aliquot ſegmentis dividuntur inſtar *Anemones* latifoliæ latioribus tamen craſſioribus & pinguioribus. Ima quæ ab radice exeunt in circumſcriptione propemodum rotunda ſunt, cœtera quæ caulis habet in longitudinem extenuantur. *Caules* palmari longitudine proſurgunt, ramoſi inæquales prominulis articulorum toris per digitalia aut longiora intervalla diſtincti, è quibus folia longis pediculis nixa ut plurimum gemina egrediuntur, duobus aut tribus cuſpidatis foliolis tanquam alis ſingula genicula ambientibus. Ramorum faſtigia ornat ſpecioſiſſima florum umbella, centro è quo radii oriuntur, ſex anguſtis reclinatis foliolis circumdato *Flores* conſtant petalis quatuor raro quinque carneo colore nitentibus, duobus amplioribus galeæ inſtar erectis ab anguſta purpurantibus ſtriis inſcripta baſi in latum ambitum diductis, duabus ſtrictioribus & aliquot purpurantibus lamellatis ſtaminulis cum concolori multifido piſtillo ſuccedanii roſtri rudimento. *Calix* qui his ſubeſt, primum in quinque anguſta in rubro ſtriata foliola expanditur, poſtmodum in ſe adductus contrahitur & totidem parva rotunda ſeminum conceptacula quæ ſuperſtitis & ſenſim grandeſcentis ſtili baſin ambiunt concludit. Ex ſingulis præ maturitate hiantibus exilit

semen oblongum è ruffo flavescens & in longiusculum tenue plumosum & circinnatum rostellum desinens. Foliorum *sapor* valde quidem adstringens & desiccans sed linguæ haud diu inhærens sentitur. Integra propemodum æstate in multam hyemem usque floret, nec in hybernis si à frigore custodiatur, virorem suum facile dimittit.

Aliud Geranii genus viguit in Horto Illust. *Casparis Fagelii*, appellatum

GERANIUM *Africanum humile Adianthi foliis.*

Palmi altudinem vix implebat. *Radix* quasi in bulbum rotundabatur; *Folia* in tenuia segmenmenta *Adianthi acrostici* instar insecta erant; *Flos* ex cœruleo & albo colore pulchre striatus apparebat.

In Codicibus Amplissimi *Beaumontii* conspexi

GERANIUM *batrachoides Americanum maculatum ruberrimo flore.*

Foliorum segmenta latiora & rotundiora erant quam in Geranio montano fusco, & nigricantibus maculis insignita. *Flores* ruberrimo nite-

tebant colore, *Calix* satis amplus in quinque foliola expandebatur.

Num Græcorum *Heliotropia* nostri sæculi Botanicis cognita sint? incertum arbitror. Singula enim ad hanc rem attinentia si expendantur, liquido apparet nec Græcos de *Heliotropiis* inter se convenire, nec horum notas omnes recentiorum *Heliotropiis* respondere. Et certe hactenus nemini nostrum plantæ innotuerunt in quibus ejusmodi conversiones ad solem, quas Græci *Heliotropiis* assignarunt constanter observarentur.

Duplicis vero generis sunt nostrorum herbariis *Heliotropia*. Primi generis species unica est nempe *Heliotropium tricoccum*, cujus pigmentum ex fructubus paratum Gallis *Turnesol* vocatur. Hoc *flore* est staminneo s. apetalo à fructubus remoto, *Fructubus* verrucosis asperis tricoccis, *Foliis* integris alternis; Vulgo pro *Heliotropio parvo Dioscoridis* & *tricocco Plinii habetur*. Alterius generis species ad familiam plantarum asperifoliarum spectant; *Seminibus* nempe quaternis in *calicibus* quinquifidis, *Floribus* parvis quinque partitis in spica recurvatam Scorpionis caudam imitante dispositis, *Foliis* alternis. Harum tres species ex autoribus ante se scriptis in *Pinace* proponit *Bauhinus*.

Duas ſpecies attulerunt *Marckgravius* & *Piſo.* Prima dicitur *Jacua acangha* Braſilianis & *Fedagozo* Luſitanis. Altera *Aguavaquinha.* Prioris Iconem *Marckgraviana* nitidiorem multo & perfectiorem exhibet *Dodartius in memoria plantarum,* cum inſcriptione *Heliotropii Americani cærulei foliis Hormini.* Poſterior in Hort. Lugd. Bat. Catalogo *Horminum Americanum foliis anguſtioribus* appellatur. Quod hoc nomine in hortis noſtris ſuccrevit, totum piloſum erat, & tactu mollius. *Caules* habebat humiliores, *Folia* breviora multo & anguſtiora, *Flores* minores candidos, *ſemina* rotunda. Imago *Marckgraviana* potius hanc poſteriorem quam priorem ſpeciem exprimere videtur. Synonymum autem *Jatua acanga*, in Hort. Lugd. Bat. Catalogo & Parad. Bat. Prodromo poſteriori ſpeciei ſubſcriptum, ad priorem relegandum eſt. Quatuor novæ ſpecies in Paradiſi Batavi prodromo annotantur, quarum unicam hic exponemus, nempe

HELIO-


HELIOTROPIUM
Lini umbilicati facie.

HELIOTROPIUM *Americanum procumbens facie Lini umbilicati.* Heliotropium *Curassavicum foliis Lini umbilicati Par. Bat. Pr.* Heliotropium *Americanum minus glabrum folio angusto glauco Breyn. Prodr. 2.* Heliotropium *Monospermum Indicum procumbens glaucophyllum floribus albis Pluckn. Tab.* XXXVI.

Antequam flores parare incipit Lino umbilicato *Park.* prorsus simile est. Totum glabrum, glauco colore nitens. *Cauliculi* in ramos divisi longitudine palmum æquantes & humi decumbentes uberioribus *foliis*, Lino umbilicato crassioribus & pinguioribus obsiti sunt. *Flosculi* minores sunt quinquepartiti candidi, in spicam congeneribus similem congesti. Sequuntur deinde in caliculis quinquifidis *capitula* parva rotunda, quæ præ maturitate in quatuor partes separantur. Igitur tetraspermum est hoc *Heliotropium* non monospermum. *Radix* fibrosa parva quotannis interit. Evidenti *sapore* & *odore* nullo sensus afficit. Augusto & Septembri perficitur & ex deciduis seminibus se renovat.

HIE-

HIERACIUM *Pyrenaicum Blattariæ folio, minus hirsutum. Schol. Bot. Par. Turnef.*

E vivace crassa fibrataque *radice* multa exeunt *folia* in orbem congesta, humi decumbentia saturate viridia, acuminata per ambitum denticulata crassiuscula pilosa nervosa longitudine nonnunquam dodrantem, latitudine duos pollices superantia. *Caules* paulo ultra pedis altitudinem prosurgunt ramosi hirsuti angulosi striati intus cavi, quos amplectuntur *folia* imis minora & ad exortum auriculata. Ex horum sede egreditur pediculus digitalis, hirsutus, cui capitulum insidet multis pilosis angustis & arcuatis foliolis circumseptum, quod in amplum luteum *florem* Hieracii similem sese explicat. *Semina* succedunt oblonga in ruffo nigricantia, albo pappo donata. Foliorum *sapor* amarus est cum quadam adstringentia in recessu.

Magnam habet affinitatem, si non idem sit, cum *Hieracio latifolio glabro ex valle Griesbachiana* J. Bauh. *Pluckenetius* ramuli iconem in Tab. CXVI. exhibet, eique Synonymum *Dentis leonis caulescentis* C. B. Prodr. subscribit. Ast descriptio Bauhiniani *Hieracio* nostro non in omnibus respondet; Inter alia obstant *folia* quæ in nostro nec rotunda

nec


p. 184.
HIERACIUM
Blattariæ folio.


HIERACIUM
Boeticum
medio nigro


HIERACIUM
Capitulis
Cardui benedicti

nec laciniata sed mucronata & in ambitu denticulata sunt.

HIERACIUM *Medio nigro Boeticum majus Parck. & Raj.*

Hujus Historia cum à *Lobelio* in stirpium illustrationibus & à *Parkinsone* in Theatro, citra imaginem tradita sit, igitur hanc solam citra historiam exhibere visum fuit. *Foliis* insuper ludit hoc *Hieracium*; nonnunquam enim glabra sunt & pinguia nonnunquam incana lanugine obducta, nunc lævius nunc profundius laciniata, & per ambitum aut nihil aut parum denticulata. Hoc anno *Hieracii* hujus varietas mihi nata est semine ab Excellentissimo *Johanne Boëhmio* Medico Veneto & rariorum stirpium indagatore & cultore solertissimo ex Italia misso. Petala exteriora albida, intermemedia discum imitantia lutea, cœtera priori simillima erant.

HIERACIUM *capitulis Cardui benedicti glabrum. An* Hieracium *Echioides capitulis Cardui benedicti majus Arabicum folio sinuato Hort. Edinb. Sutherl.?*

Ab *Hierarcio Echioidi capitulis Cardui benedicti C.B.* in eo tantum deflectit, quod omnibus

partibus sit glabrum & nullis spinulis pilisve asperum, solis foliolis, floris capitulum amplectentibus exceptis, quorum margines nonnunquam brevissimis pilis ast minime hirtis circumdati sunt. *Hieracii Tingitani* nomine misit *D. Bobertus* Horti Academici Oxoniensis Præfectus dignissimus.

HORMINUM *Syriacum rugoso verrucosoque folio cornu cervinum exprimente Par. Bat. Prodr. & Pluck. Tab.* CXCIV.

Ob insolitam foliorum formam cervi cornua referentium rariorum stirpium cultoribus expetitissimum est hoc *Hormini* genus. *Folia* septem plurave ab una radice in orbem spargit palmum & amplius longa duos transversos digitos lata, aliquot profundis segmentis insecta, pallide viridia, & in patrio solo forsan velut Æthiopis incana, crassiuscula mollecula tamen, quasique spongiosa, parte sui prona & supina inæqualibus rugis crispata, teneraque lanugine araneosæ telæ instar obducta. E centro horum erigitur *caulis* ramosus pede altior, quem ad singula genicula ambiunt *flores* galericulati purpuroviolacei *Hormino sativo Diosc.* paulò majores, tenui bifurcato stylo sese


p 186
HORMINUM
Rugoso verrucosoque
folio


HORMINUM
Anguriæ folio

ſeſe è flore longiùs exerente. Singulis verticillis ſubjiciuntur bina ex oppoſito foliola mucronata non rugoſa, in ambitu è viridi purpuraſcentia. *Semina* ſequuntur quaterna in quinquifidis obtuſis caliculis.

Radix lignoſa quidem eſt & profundè acta, ſoboles vero nullas creat, ſed dum planta ſe perficit, vivere deſinit. biennium pro vita exigit, primo anno folia tantum emittit, ultimo cauleſcit & ſemina profert. *Sapor & odor* congeneribus ſimilis, ſed languidior.

Plukenetius in icone verticillis appoſuit foliola inferioribus ſimilia, nos verò ea ab inferioribus diverſa obſervavimus, non rugoſa, ſed pilis obſita, quò verò ſuperiora, eo minùs hirſuta.

Hujus meminiſſe videtur *Rauwolfius* in Itinerario cap. XII. p. 113. nomine *pulcri Hormini generis, anguſtis lanuginoſis profundè ſectis foliis.*

HORMINUM *Pyrænaicum glutinoſum Anguriæ folio Domini Fagon. Schol. Bot. Par.*

A cæteris *Horminorum* ſpeciebus diſtinguitur potiſſimum *foliis*, quæ ampliſſima ſunt, pinguia, rugoſa, nervoſa, in ambitu variè & inæqualiter ſinuoſa, crenata, laciniata & nonnihil ſimilitudinis cum *Citrulli & Anguriæ* habentia. Prima,


ma, humi strata, longitudine cubitum, latitudine palmam attingunt, cætera quæ in caule sita sunt, sensim gracilescunt. *Caule* surgit bicubitali & altiore, quadrato, hirsuto, in oppositos conjugatim ramos ex intervallo fisso, cujus fastigia in spicam longam verticillatim disponuntur *Flores* Hormino pratensi similes, cui & *semina* respondent. *Utriculi* cum utriculis *Hormini asphodeli radice Triumfetti* omnino conveniunt, scilicet bifidi sunt & quælibet pars duobus apicibus instructa est. *Radix* subest vivax & surculosa, in longitudinem exiens, multisque crassioribus fibris donata. Tota planta viscida & glutinosa est, ut *Colus Jovis.*

Ex Pyrænæis montibus, stirpium feracissimus habuit Illustriss. *Fagonius*, cujus munificentiæ acceptum referimus.

HYPERICUM *frutescens Virginianum tomentosum & incanum.*

Elegantissimo hoc *Hyperici* genere, cultura in arbusculam adolescente, nos pro humanitate sua donavit Nobilissimus ac Reverendissimus D.D. *Henricus Compton* Episcopus Londinensis, qui id cum plurimis aliis ex Virginia acceperat. Non ali-

p.188



HYPERICUM
frutescens tomentosum et incanum.

53.


IACEA
cum Spongiosis
Capitulis.


IACEA
Cyanoides
alato Caule.

aliter ab *Hyperico ſupino tomentoſo minori Monſpeliaco C.B.* differre videtur, quam quod cultura in arbuſculam excreſcat. Ramulis terræ commiſſis facile multiplicatur.

JACEA *cum ſpinoſis capitulis purpurea tenuifolia J.B.*

Cum *Jacea*, quam hæc tabella exhibet à *Joanne Bauhino*, breviter, accuratè tamen, deſcripta ſit, ſatis duximus ejus iconem hic proponere, & lectorem ad ejus Hiſtoriam tom. 3. lib. XXV. pag. 33. remittere.

JACEA *cyanoides altera alato caule. Vall. H.R.P.*

JACEA *peregrina Napifolia, hirſutis capitulis alata. Plukn.*

F*olia* huic inferiora ſunt ampla, pediculis carinatis longis, piloſis appenſa, *napi* vel potiùs *lampſanæ* foliis accedentia, craſſiora tamen & magis rugoſa, parte inferna itidem non nihil piloſa & hirſuta; horum laciniæ per margines ſunt crenatæ, ſuperiora ſeu extrema, palmam lata, obtuſa, ſubrotunda. Superiores, quæ abſque pediculis ad-

hærent, & in membranaceas alas diducantur, minus dissectæ, quæ verò in summo, integræ omninò & angustæ. *Caules* protrudit bicubitales in frequentes ramulos divaricatos, pluribus fimbriis seu alis viridibus, glabris, & laciniatis & variè incrispatis cinctos, quæ quo inferiores eò latiores & magis sinuosæ & undulatæ; superiores rarioribus denticellis exasperantur & nonnunquam in spinulas inermes abeunt. Summos caules & ramulos occupant capitula squamosa, squamarum acumine in pinnatas spinulas innoxias fatiscente, quæ explicantur in *flores* purpureos amplos, *Cyani* in modum diffusos. Succedunt *semina* turgidiora, brevi villo coronata more congenerum.

Datur & alia species priori simillima, ast *caule* humiliori.

JACEA *folio Cerinthes purpurascente flore, è rupe Victoriæ Schol. Bot. Parif. Tournef.*

A *radice* prolixam fibrarum comam demittente, oriuntur *folia* copiosa, humi strata, quæ ab angusto principio in latitudinem sesquiuncialem sese laxantia, & in acutum mucronem contrahuntur; longitudine sex uncias implent, glabra, glauca, *Cerinthes* vel potiùs *Chondrillæ bulbosæ Park.* fo-


IACEA
folio
Cerinthes


p.491
LACTUCA Sylvestris
Sanguineis maculis
asperſa.

foliis accedentia. *Caules* emittit vix pedales, non ramosos, folio uno vel altero parte inferiore donatos, sustinentes capitulum ex parvis squamis in spinulam inermem desinentibus compactum, quod in *flores* sese explicat purpurascentes, tubulosos, in quinque partes æquales dissectos, cum staminulo prominente. Delapso flore succedunt *semina* congeneribus similia. Habuimus ex munificentia Clariss. *Tournefortii.*

LACTUCA *Sylvestris Italica, costâ spinosâ, sanguineis maculis aspera.* Lactuca *maxima Italica, sanguineis maculis aspersa. Flor. Bat.*

Planta, quam sub hoc nomine propono, primò mihi innotuit munere Clariss. Dni. *Johannis Boehmii M D.* exoticarum plantarum cultoris solertissimi, qui ejus semina Venetiis ad me misit. Hæc autem bimula facta, semina sua perficit, usque sese propagat, & semel in horto sata, absque labore conservatur. Ultra hominis proceritatem assurgit, *caule* pollicem crasso, purpurascenti, in plurimos ramos brachiato, pilis rigidis undique obsesso. *Folia* infima humi expansa, in orbem digesta, ampla, spithamo

mo longiora, palmâ latiora, per margines undulata, nonnunquam integra, nonnunquam unâ alteráve laciniâ divisa, supernè, saturatè virentia, quà terram spectant pallida, spinulisque per costæ & majorum fibrarum longitudinem excurrentibus armata, maculis sanguineis seu purpureis quasi cruore perfuso notata; superiora profundiùs & frequentiùs laciniata, inferiorum more aspera & maculata; quæ in summis ramulis integra sunt & glabra, in acutum mucronem terminantia, atque ad margines pilis tantùm brevissimis, quasi spinulis donata. *Flores* ex calycibus squamatis conferti, lutei, in extremis ramulis veluti in spicas dispositi, ad solem circa meridiem expansi, aliàs clausi. Hos excipiunt *semina*, compressa, nigra, villo coronata. Tota planta *lacte* amaro turget, & *odorem* gravem & virosum spirat atque congeneres *Lactucæ sylvestris* species.

Hujus meminisse videtur *Delachampius in Hist. Lugd. tom. 1. lib. 5. pag.* 547. circa finem, ubi de Lactuca sylvestri. „ Alterius *Lactucæ sylvestris* „ historia & pictura extat apud *Penam*, quæ om- „ nibus partibus ad *Lactucam* accedit, vel ad *seri-* „ *dem latifoliam*, vulgò *scariolam*, Lactucæ simil- „ limam. Succo lacteo tota manat, adeò ut præ „ ejus copia soporifero sit odore tetro & ingrato, veluti


LEUCOIUM
Lusitanicum
purpureum

p. 193.

LEUCOIUM
Thlaspios facie.



„ veluti opium. *Caulis* bicubitalis glutinosus: *flo-*
„ *res* Lactucæ: *Semen* aliquanto minus nigricans.
„ ea, inquit *Lobelius*, in agro Romano *foliis ni-*
„ *gris maculis* variata, conspicitur.

LEUCOIUM *Lusitanicum purpureum foliis eleganter dentatis. Par. Bat. pr.*

Ex seminibus è Lusitania missis nata est elegans hæc Leucoii species, cujus prima *folia* ad modum *Dentis leonis* erant laciniata, quæ caulem ambiunt, alterno ordine absque pediculis adnascuntur, biuncialia, profundè dentata, & in cuspidem acuminata, *caulis* ad altitudinem pedalem attollitur, striatus, in ramos, & hi rursus in alios divaricatus, quorum summitates abeunt in *flores* spicatos rarius dispositos, tetrapetalos, rubentes, ex perianthio oblongo, hirsuto, prorumpentes. His succedunt *siliquæ* parvæ articulatæ sapore acri. Ex siliquis, & foliis laciniatis videtur potius ad *Erucæ* species releganda.

LEUCOIUM *Thlaspios facie, flore albo. Flor. Bat.*

Radice nititur exili fibrosa. *Cauliculi* statim à radice sunt ramosi, virides, nunc erecti,

nunc procumbentes. *Folia* singularia, *Leucoio marino parvo folio virente crassiusculo J. B.* similia, sed paulò minora, & in obtusiorem ambitum tendentia; *flores* quoque minores tetrapetali, albi, *calyci* quadrafido insedentes. Excipiunt *siliquæ* duriusculæ, teretes biunciales & longiores, bicapsulares, in quibus *semina* fulva, parva, oblonga ex tereti nonnihil depressa *Sapor* subamarus, subacris *Thlaspios* instar; Semina collegi in horto RR. *PP. Ordinis St. Franc.* in vico Sti Honorii Parisiis, ubi planta succrevit ex seminibus, ni fallor è Candiâ transmissis. Annua est planta, & forsan varietas tantum *Leucoii marini parvi, folio virenti crassiusculo J.B.*

LILIUM *Americanum puniceo flore, Bella donna dictum.*

Ex *radice* bulbacea rotunda, *Tulipa* duplo majore, foris membrana fulvescente tecta & aliquot fibris ad basin donata, prodeunt *folia* viridia, *Narcissinis* forma & substantiæ lentore similia, latitudine unciali & sesquiunciali, quæ elapso flore in longitudinem dodrantalem extenduntur, Inter quæ non medius, sed relictis ad latera foliis, nudus & liber erumpit *scapus* pedalis, glaber, rotun-


LILIUM
Bella Donna.


LILIUM Africanum
Polyanthos.

tundus, calamo ſcriptorio craſſior, ſenſim gracileſcens, è cujus theca membranacea bivalvi prorumpunt *flores* terni, quaterni aut plures, ſex petalis conſtructi, ex principio anguſto fiſtuloſo oblongo oriundi, eleganter punicei, marginibus & umbone pallidulis, *Aſphodeli liliacei* floribus ſimiles ſed majores, quorum medium occupat ſtylus nutritivus & ſex ſtamina concoloria incurvata, apicibus lubeis coronata.

Ex inſulis Caribæis provenit, unde ad nos delatum, flores protulit, quibus evanidis ſemine viduum emarcuit. Quod tamen cœteris ſui generis proculdubiò ſimile, nobis vero hactenus nondum viſum.

LILIUM *Africanum humile longiſſimis foliis polyanthos, ſaturato colore purpuraſcens. H. L. B. in App.*

Pulcherrimum & gratum oculis atque naribus eſt *Lilium* hoc Africanum, quod à *Narciſſo pumilo Indico polyantho Cornuti* non multùm differt, quamquam ad *Lilii* potiùs quàm ad *Narciſſi* familiam pertinere videatur. *Bulbum* fert carnoſum, rotundum, amplum, ex quo prodeunt *folia* prolixa, lata, narciſſinis ſimilia,

flexuosa; *Caulis* spithamo vix altior sustinet quinque & aliquando decem *flores*, quos in umbella dispositos, è vagina membranacea bivalvi prodeuntes, qui colore saturatè purpurascenti nitent. Datur etiam varietas flore dilutè purpurascente, quæ *Lilium Africanum humile longissimis foliis polyanthos diluto colore purpurascente H. L. B.*

Differt à *Narcisso Indico pumilo polyantho Cornuti*, *foliis* (quæ in illo palmum longa, pollicem lata sunt) latioribus & multò longioribus; *caule* altiori, & *floribus* paucioribus, 19. vel 20. numerat *Cornutus*, cum rariùs dimidia pars in hac specie observetur.

Cùm numerosa admodum sit *Lychnidum* à Botanicis descriptarum familia, antequam novam illi adjungendam describere aggredimur, varietates aliquot adnotare libet, ne pro diversis speciebus habeantur.

LYCHNIS *viscosa, floribus foris purpurascentibus, intus albis CB.* Hæc ipsissima mihi videtur, quam *Clusius in Hist. p. 294.* absque adjecta icone descripsit, sub nomine *Muscipulæ secundæ*, quamquàm in staminibus florum descri-

ſcribendis diverſa ſit. Nam idem ſtaminum numerus & apiculorum color, non ſemper obſervatur. Iconem hujus in autoribus nondum reperire licuit.

LYCHNIS *viſcoſa foliis brevi lanugine aſperſis CB.* Hæc priori ſimilis eſt ſed *folia* ſunt paulò majora; *flores* albi petalis omnibus ad umbilicum uſque diſſectis & in contiguum orbem coactis, albis ſeu niveis, extus tamen purpuraſcentibus, nullo interſtitio, ſeu hiatu inter lacinias petalorum conſpicuo. Hanc *Cluſius* deſcripſit *pag.* 293. nomine *Lychnidis ſylveſtris* è ſemine natæ, primæ. Ipſe vero ſuæ adſcripſit flores prorſus niveos; nobis color intùs niveus, extùs incarnatus apparuit. Stamina habet numero & colore non ſemper eadem, nunc terna, quina, & terna cum totidem aut pluribus majoribus & brevioribus priora cingentibus, apiculis diverſi coloris ornatis, nunc pendulis, nunc erectis.

LYCHNIS *viſcoſa floribus foris purpuraſcentibus intus albis, caulibus & capſula glabris, floribus orbiculatis.* A præcedenti differt glabritie ſeu levitate, & floribus altera parte incarnatis & orbiculatis, nullo inter petala hiatu.

LYCHNIS *viscosa floribus foris purpurascentibus, intus albis, foliis brevi lanugine aspersis, & florum petalis angustioribus, hiatu inter lacinias & petala apparente seu intercedente.*

Hæ quatuor præcedentes Lychnides possunt uno nomine vocari Italicæ, nempe,

1. LYCHNIS *viscosa Italica floribus orbiculatis, albis, extus incarnatis, subhirsuta latifolia.*
2. Eadem *glabra. Hæc varietas est prioris primæ.*
3. LYCHNIS *viscosa latifolia subhirsuta petalis invicem nonnihil recurvis.*
4. Eadem *angustifolia, florum petalis angustioribus.* Cum tertia omninò convenit, nisi quod petala & folia sint nonnihil angustiora.

Flores harum quatuor *Lychnidum* exhalant suavem sed debilem odorem. *Radice* sunt perenni, florent Junio, & Julio perficiuntur. *Seminibus* delapsis & *caulium* nodis facilè propagantur. Primam speciem vocat CB. *Lychnidem Visc. Fol. brevi lanugine aspersis.* Secunda primæ varietas est. Tertiam vocat CB. *Lychnidem visc. fl. foris purpurascent. intus albis.* Quarta varietas est tertiæ. Rectè,


p.195.
LYCHNIS
Ocymastri folio.
64

ctè, inquit *Raius* Lychnidem primam & tertiam inter se parùm differre. Nos addimus inter omnes, esse varietatem, non vero specie esse diversas.

LYCHNIS *Ocymastri folio, flore viridi.*

Radice nititur perenni, crassiuscula, paucis fibris donata. *Caulem* emittit singularem (interdum plures) cubitalem, teretem, geniculatum, hirsutum, ramosum; ad singula genicula, bina è regione oriuntur *folia* mollia, subhirsuta, *Ocymastro* persimilia, absque pediculis cauli adnata; inferiora non nunquam pediculis biuncialibus appensa sunt, sesquiunciam lata, rotundiora plerumque quàm quæ icone expressit sculptor uti & superiora. *Flores* in summis caulibus & ramulis è foliorum alis exeuntes, pentapetali, parvi, petalis angustis in medio bifidis, *coloris* intus ex albo herbacei, extus ex viridi flavescentis, cum quinque staminulis, apicibus concoloribus, coronatis. *Calyx* oblongus, striatus, hirsutus. *Semina* in capsulis turbinatis, coloris cinericei; floris colore ac parvitate à cæteris speciebus facillimè distinguitur. Semina in famigeratissimo *Fagelii* horto collecta, & ut memini ex Lusitania transmissa.

MAR-

MARRUBIUM *Dictamni spurii foliis & facie. An Pseudodictamus Hispanicus folio rugosiore Schol. Bot. Par.?*

Ex *radice* simplici plures fibras emittente, oriuntur *caules* frequentes, pedales, ramosi, quadrati, lanuginosi, quibus ad singula genicula adstant *folia* amplitudine ad *Pseudo-dictamuum acetabulis moluccæ C. B.* facie vero seu habitu, ad *Marrubium album* accedentia, ast minora, magis crenata & rotundiora. Caulium genicula multiplici serie verticillatìm cingunt acetabula densè coacta, brevibus vel nullis pediculis suffulta, *Pseudo-dictamno* minora, expansa, rugosa & per margines crenata. Ex horum singulis oritur *flos* tubulosus, galeatus & labiatus, intùs elegantissimis purpureis lineolis undique inscriptus, extus in rubro pallescens, galeâ constans bifida erecta, apice lanuginoso & labello trilobato. *Semina* fert angulosa fusca, quaterna (utplurimùm terna) in singulis calyculis.

MAR-


MARRUBIUM
Dictamni spurii
folijs et facie

p 201



66

MARRUBIUM *album rotundifolium Hispanicum maximum Schol. Bot. Par.*

O*cymastro Valentino Clusii* adeò ſimilis videtur hæc planta, ut à plurimis pro eâdem habeatur. Aſt *caulibus* quadrangulis ex viridi ſubincanis altius aſſurgit, *folia* ſupra ſaturatius virent & pediculis longulis pendent minus rotunda & in modicum mucronem obtuſum terminantur. *Calyculi* è quibus prodeunt flores, in decem ſtrias totidemque apices ſtellatim expanſos explicantur. *Floſculi* pluribus in verticillis ab imo ad ſummum per interſtitia diſpoſiti, quorum pars ſuperior ſeu galea trifida eſt & retroflexa, ad extremas oras nonnihil lanuginoſa tota alba, intus duabus lineis ſanguineis per longitudinem inſcripta Labium bifidum auriculatum, albidum; guttis ac lineolis ex albo & ſanguineo variis eleganter inſignitum. Galeam in aſcenſu comitantur ſtamina aliquot craſſiuſcula, rigida, rubropallidula, abſque apiculis. *Semina* ſuccedunt anguloſa, fuſca, bina, terna, rariùs quaterna in eodem vaſculo.

Quoad verticillorum diſpoſitionem, & utriculos in decem apices aculeatos terminantes, cum *Marrubio vulgari albo C. B.* convenit, cui debet & proximè jungi, *odor* & *ſapor* ut in cœteris Marrubiis.

NASTURTIUM *Africanum foliis ternis facie Christophorianæ Par. Bat. Pr.*

Prima fronte *Christophorianam* dixeris, si *florem* & *folia* inspexeris, sed postquam *siliquas* bicapsulares protulerit, *Nasturtiis* adjungeres, eoque magis quòd *saporem* acrem & subacidum ad *Nasturtium* nonnihil accedentem, præ se ferat, & *siliquæ* ad tactum dissiliant. *Radice* est fibrosâ albâ, è cujus capite prodeunt *cauliculi* plures ramosi, dodrantales & longiores, glabri, ex viridi nigricantes, inferiùs teretes superiùs angulosi, vario flexu nunc terram versus reclinati, nunc se rursus erigentes. His per longiuscula intervalla in petiolis sesquiuncialibus adstant *folia* tripartita *Christophorianæ* segmentis nonnihil similia, per ambitum dentata & in mucronem desinentia. *Flores* obtinet parvos pentapetalos, nutantes, brevi veluti in spica dispositos, viridantes, nunquam expansos, sed ex petalis quasi conniventibus conflatos, è calyce parvo quadrifido ortos. Sequuntur *siliquæ* bicapsulares semidigitales in mucronem desinentes, valvis per maturitatem vel levi tactu cum fragore dissilien-


NASTURTIUM foliis ternis
facie Christophorianæ.
p 202.
O
A


NASTURTIUM
Montanum
Assari folio


NASTURTIUM
Pyrenaicum aquaticum

lientibus, ſeſeque convolventibus more congenerum. *Semina* ſuccedunt depreſſa, oblonga, flaveſcentia.

NASTURTIUM *montanum Aſſari folio Bocconi.*

Hoc *Naſturtium* idem eſt quod *P. Boccone* in deſcriptione plantarum rariorum Siciliæ, vocat *Naſturtium montanum Aſſari folio*, & *Jac. Zanoni* in Hiſtoria Botanica exhibuit ſub nomine *Naſturtii Alpini paluſtris rotundifolii.* *Flores* in ſummis *caulibus* fert tetrapetalos albos, cum ſtaminibus pallidis. *Calyx* etiam tetraphyllus parvus, pallidè virens.


NASTURTIUM *Pyrænaicum aquaticum latifolium purpuraſcente flore. Domini Fagon. Schol. Bot. Pariſ.*


E *radice* albente, multis fibris capillata, perenni, proveniunt *folia* per terram ſparſa, elata, pinnis rigidis, cæteris congeneribus amplioribus, ſubrotundis, per margines quaſi eroſis, binis ex adverſo coſtæ intermediæ carinatæ adhærentibus, unica in ſummo impari ampliſſima. *Caules* erigit ſpithamo longiores, teretes nonnihil

hirtos & verſus ſumſnum ſtriatos, ad quorum ſummitates ſpicata veluti ſerie prodeunt *flores* pallidè purpuraſcentes, tetrapetali, ampli, cum ſtaminibus intùs flaveſcentibus, *calyce* tetraphyllo pallidè virente, & petiolis tenuibus viridantibus ſuffulti; quibus poſt floris defluxum, elongatis, rigidioribuſque & validioribus factis inſident *ſiliquæ* longæ in duas valvas cum membrana intergerina dehiſcentes, fundenteſque *ſemina* cæteris congenera. Floruit horto noſtro, menſe Majo, & Junio ſemina perfecit.

NIGELLA *flore ſimplici palleſcente, petalorum baſi longiſſima.*

Ex radice recta fibras ad latera emittente, ſurgit *caulis* ſtriatus, glaber, viridis, in plures ramulos divaricatus, & hi rurſus in alios, quorum unicuique inſidet *flos* ſat amplus è cæruleo palleſcens, petalis ex anguſto principio & quaſi longo petiolo in latitudinem ferè circularem ſe laxantibus & in mucronem turbinatis, nullo perianthio ſeu foliorum barbula ſuffultus. A medio floris exit *vaſculum ſeminale* anguſtum, quinquifidum, in ſummo corniculatum, cui adſtant octo alia foliola bifida, ſuper ipſis petalis expanſa, uti in *nigella Cre-*


NIGELLA
Flore simplici
pallescente


p 201
NYMPHÆA Indica
Faba Ægyptia
71

Cretica C.B. quorum unumquodque tribus ſtaminibus apiculatis ſtipatur. *Folia* ſunt tenuia, latiuſcula, viridia, abſque pediculis ad ramulorum exortus cauli adnata.

Petalis anguſta & longiori baſi donatis, longiuſque à ſe invicem remotis, à congeneribus præcipuè diſcriminatur hæc ſpecies.

NYMPHÆA *Indica Faba Ægyptia dicta, flore incarnato.* Nelumbo *Zeylonenſium.*

Plantam hanc eſſe veram *Fabam Ægyptiam veterum*, nullus jam reſtat dubitandi locus. Tam exactè enim deſcriptioni *Theophraſti* reſpondet, ut pauciſſimæ nobis cognitæ ſint plantæ quæ magìs ad amuſsim quadrant cum deſcriptionibus à veteribus traditis, unde ſi quis de hac litem movere velit, eodem jure & nullas ab antiquis deſcriptas nobis cognitas eſſe affirmare poſſit. *Cluſius* hanc eſſe *Fabam Ægyptiam Dioſcoridis*, modo Nymphææ foliis ſimilem, ex ſolo fructu aſſerere non veritus eſt. Et adeò mirandâ ſanè & à cæteris omnibus diverſâ conſpicitur formâ, ut ex illo tutò ſatis potuiſſet judicium ferre. Hunc verò uti notum ac à pluribus deſcriptum miſſum facio, ut oſtendam folium cæteraſque partes non minùs

veterum ſententiæ accedere. *Folium* galerum Theſſalicum magnitudine æquare tradit *Theophraſtus*, nec minus ſæpiùs obſervavimus, latitudinis ſcilicet ſeſquipedalis. Eſt verò glabrum, craſſum, circinatæ rotunditatis, plurimis nervis, inſtar tot radiorum, è centro exeuntibus, qui verſus peripheriam in duas partes finduntur & hi ſæpè rurſus in duas alias, qui tandem in tres minutiſſimas divaricantur propè marginem. *Caulis* digitum craſſus, ſecundum aquæ ubi naſcitur planta profunditatem, longus, tenuiſſimis & breviſſimis ſpinulis ubique exaſperatus. Videtur inſuper folium quaſi perforare, & nervorum ſuperiore parte excurrentium centrum conſtituere. *Flos* ut rectè *Theophraſtus*, roſeus ſeu incarnatus, duplex, *papaveris* magnitudine, imò *Nymphææ albæ* flori petalorum & ſtaminum diſpoſitione ſimillimus. In aquis Ceylonæ ſtagnantibus abundat. De radicis & fructus eſu & in medicina uſu, nihil ab autore relictum invenio, quamvis omni proculdubio de his & obſervationes & experimenta feciſſet. Cæterùm deſcribitur & depingitur in Horti Malabarici tom. 11. tab. 51. nomine *Tamara*.

OR-

p. 47

Orchidi affinis.
EPIDENDRON *Curassavicum folio crasso Sulcato.*



72

ORCHIDI AFFINIS *planta parasitica, folio crasso sulcato.* Viscum arboreum *flore albo specioso Americanum, foliis forma siliquarum Nerii. Pluken. Tab. 117.* Epidendron *Curassavicum folio crasso sulcato vulgò.*

Novam & admirandam hanc plantam visci nomine exhibuit Clariss. *Plukenetius*, eò quòd arborum ramis adnascatur. Nobis ejus figuram in Horto *Fageliano*, ubi floruit, ad vivum factam, & descriptionem addere è re esse duximus.

Novum verò huic generi nomen imponere non veriti sumus cum & radicibus *Orchidi* spurio dicto, & florum forma à nonnullis *Orchidis* speciebus non multùm abludat. Præcipuè verò cùm & alias hujusce generis species ex America delatas possideamus, quæ non flore tantum *orchidis* similitudinem, apprimè referant, sed & foliis latis, liliaceis, in aliquibus speciebus maculis purpureis insignitis, iisdem propius accedere videantur. Cæterùm radices agit plures ligneas, geniculatas, crassas, quibus arborum ramos amplectitur, ex iisque succum haurit nutritium. *Folia* profert plura,

p. 249

ORCHIS
Amboinensis.




ORNITHOGALUM

ORCHIS *Amboinensis floribus albis fimbriatis.* Flos Susannæ *Rumphii. Par. Bat. prodr.*

Elegantissima hæc *Orchidis* species, testiculatarum tribui censenda est. *Folia* inferiora sunt brevia & in acumen desinunt, caulesque foliorum *Orchidis rotundi* instar *Delachampii*, amplectuntur. Superiora, longiora, nervosa, viridia, glabra. *Caulis* dodrantalis & pedalis, tenuis, versus summitatem in ramulos, seu florum pediculos, ex foliorum sinubus ortos, divisus. Unusquisque autem ramulus seu pediculus coronatur *flore albo*, constante ex galea integra, lata, subrotunda, cum duabus alis fimbriatis, expansis & angusto labello longiùs producto. In medio apparet rictus amplus, alia itidem galea circumscriptus. Aversa floris parte prominet calcar tenue, longissimum. In hortis nostris nondum floruit, icon verò ad figuram à Clarissimo *Rumphio*, Plinio Indico dicto, ex Java missam, facta est.

ORNITHOGALUM *Africanum flore viridi altero alteri innato. Par. Bat. pr.*

Ab *Ornithogalo luteo virescente Indico Cornuti* differt *radice* minore, magisque rotunda;

foliis duplo angustioribus, magis flexuosis, & in tenuiorem apicem exeuntibus. *Caules* etiam erigit graciliores, *floribus* minoribus onustos; *flores* rariùs dispositi, pauciores, è petalis minoribus & angustioribus conflati, uti etiam fòliola è quorum cavitatibus emergunt, cæteris colore scilicet & forma conveniunt. Omnium partium parvitate præcipuè à prædicto *Cornutiano* differt.

PALMA *Americana crassis rigidisque foliis.*

Palma hæc inter plurimas ejusdem generis species in horto *Fageliano* nuper culta, fundit gummi album insipidum, unde vulgo *Palma gummifera*, vel *Resinifera* vocabatur. *Caudicem* obtinebat capitis humani crassitie pedem altum, scabrum, fuscum; è cujus summo prominebant quina & postmodum septena & plura *Folia* rachi insidentia, modo bina è regione modo alterna, rigida, dura, splendentia, gratè viridia, transversum digitum lata, palmam longa, per margines crebris denticellis exasperata. *Pediculus* seu *rachis* brevibus aculeis ex opposito plerumque sitis erat armatus, & sub-hir-


PALMA Americana
Crassis rigidisque foliis.

p 211

PENTAPHYLLUM
Cassubicum Maius



76

PENTAPHYLLUM
Caſſubicum minus.



hirſutus, ſeu raro tomento obductus. *Semen* mihi nondum viſum eſt.

PENTAPHILLUM *Caſſubicum foliis viridibus profundè ſectis & majus.* Pentaphyllum foliis *viridibus & majus. Flor. Bat. potiùs* Tormentilla *Caſſubica major.*

A *Tormentilla* vulgari differt, primò *radice* tuberoſâ ſubrotunda plurimas fibras demittente, nec rectâ nec in obliquum in terram actâ. 2. Omnium partium magnitudine, *foliorum* præcipuè, quæ vulgari foliis duplo ſunt majora & craſſiora. Hanc & ſequentem communicavit Clariſſ. *Breynius* in re Botanica verſatiſſimus.

PENTAPHYLLUM *Caſſubicum foliorum ſegmentis profundè inciſis, ſerratis & minus. Flor. Bat.*

Hæc etiam ex *radice* tuberoſa ſubrotunda, denſam fibrarum demittit comam. *Folia* exeunt plurima humi ſtrata, in ſeptem, octo & novem portiones diſſecta, profundè ſerrata, pediculis ſemipedalibus inſidentia, viridia, molli hirſutie pubeſcentia, parte inferna magis conſpicua. *Caules* tenues, ramoſi procumbentes, duobus foliolis un-

cialibus, angustis, acutis, ad ramulorum exortus donati. *Flores* in summitatibus pentapetali, lutei, pediculis tenuissimis sesquiuncialibus suffulti, *calyci* è quinque segmentis composito, quem alius ex totidem segmentis angustis conflatus obvallat, insidentes. Forma refert *Quinquefolium erectum foliis profundè sectis, subtus argenteis, flore luteo J. B.* *Caules* verò tenuiores; *folia* duplo & triplo majora, nec subtùs ut in illo, argentea.

PORTULACA *Corassavica angusto longo lucidoque folio procumbens floribus rubris Par. Bat. pr.*

Ex seminibus Curassavia delatis & horto *Fageliano* terræ commissis, primùm orta est nova hæc & elegans *Portulacæ* species. *Caulem* emittit dodrantalem & non rarò longiorem, ramosum, calamo anserino æqualem, glabrum, subrubentem, infirmum & terram versus reclinatum; quem ad genicula ambiunt *folia* ex opposito bina, aizoidea, glabra, sesquidigitum longa, ex angusto principio, quo cauli adnascuntur, paululùm dilatata, & in mucronem acutum sensim excurrentia, per margines æqualia. Ad ramulorum exortus pediculis uncialibus exeunt *flores* singulares,

cali-

PORTULACA Coraſſavica
Anguſto longo
lucidoque folio.




p 113
PORTULACA
Curassavica
Capparidis folio.
73

calici ex quinque angustis segmentis composito insidentes, pentapetali itidem petalis mucronatis, colore elegantèr rubro nitentibus. Horum medium occupat thyrsus staminum luteorum cum apicibus concoloribus. Succedunt vascula seminalia subrotunda, quæ per maturitatem transversim seu horizontaliter disrupta, *semen* effundunt pusillum.

PORTULACA *Corassavica procumbens Capparidis folio flore muscoso, capsula bifurcata.*

E *radice* fibrosa albente, plurimos fundit cauliculos, humi fusos, cubito longiores, *portulacæ* sativæ similes, è viridi nonnihil purpurascentes, crebrè geniculatos ea parte qua rami & flores exeunt, depressos, tumidos, & valdè ramosos. *Folia* ad genicula oriuntur alterna orbiculata nonnihil oblonga, viridia, crassa, *Capparidi* paria, limbis seu marginibus rubentibus, petiolis semiuncialibus crassis appensa. Quæ quo propius radici adstant majora, quæ ramulos ornant minora & angustiora & in rubentem parvum mucronem desinentia. *Flosculi* pentapetali parvi rubentes, cum staminulis concoloribus, ex geniculis seu ramulorum sinubus mediantibus sive insidentibus

bus parvis oblongis quasi caliculis, qui facessunt in vascula depressa oblonga, ima parte viridia, succosa, summa rubentia & bifurcata, horizontaliter rumpentia. Quorum pars inferior folliculum refert membranaceum tenuem, includentem *semina* depressa fusco nigricantia; quaterna aut quina: hæc capsulæ pars juncturis seu sinubus ramorum profundiùs inhæret, ut non nisi disruptis seu expansis ramis eximi possit. Seminibus autem omnino maturis & rupto operculo, folliculus inferior exarescit ut semina in quadam quasi fovea appareant. Superior pars sive operculum est crassum virescens, & ubi folliculo inferiori jungitur nonnihil rubescit, cujus summitas bifida & quodammodo bifurcata apparet.

PORTULACA *Corassavica lanuginosa Psyllii folio erectior & elatior, flore dilatiùs rubente. Par. Bat. pr.*

R*adix* numerosis capillata fibris, cauliculos promit plures, ramosos, rotundos, lanuginosos, pedales & altiores, ex rubro viridantes, quos inconcinno ordine, à summo ad imum vestiunt *folia* angusta, subrotunda, digitalia & sesquidigitalia, in mucronem acutum desinentia, *Psyllii* foliis

PORTULACA *Coraſſavica lanuginoſa erecta.*




PORTULACA.
Curassavica
Lanuginosa
procumbens

liis quoad formam respondentia, ast aïzoïdea seu crassa & succulenta, tenera etiam & propria gravitate sæpe reclinata. Ad horum exortum, præcipuè verò circa ramorum summitates, lanugine copiosa, & quidem in specie minore magis prolixa, pubescit. Summitates in plurima folia expanduntur, è quibus absque pediculis emergunt *flores* phœnicei seu coloris in purpura dilutè rubentis, pentapetali, petalis subrotundis in parvum mucronem desinentibus, cum stella lutea ex staminulis conflata instar corollæ medium occupante. Hos excipiunt vascula seminalia parva subrotunda, per medium horizontaliter rumpentia, quæ *semina* fundunt exigua nigricantia.

PORTULACA *Corassavica lanuginosa procumbens.* Portulaca *Corassavica lanuginosa Psyllii folio humilior & supina, flore saturatiùs rubente. Par. Bat. pr.*

Priori congener est hæc species & ejusdem insulæ incola. Nativo solo vix palmarem excedit magnitudinem, & lanugine seu tomento crasso & villoso tota obducta est. Læto vero & benè subacto solo commissa semina, cauliculos producunt,


p. 217
RIZOPHORA
Zeylanica.

RIZOPHORA *Zeylanica Scammonii folio singulari radice rotunda.* Kathuwala, *Zeylan.* Katu-Kasiil. *Hort. Mal. Tom 7.*

R*adix* rotunda est & carnosa, coloris ex fusco castanei, multis in superficie tuberculis extantibus inæqualis, (Tubera J. B. non malè exprimens) ex quibus demittuntur longa tenuia filamenta. Ex hac prodeunt viticuli tenues, sarmentosi, convolvulacei, scandentes & vicina quævis amplectentes, pallidè puniceis striis elegantèr virgati. *Folia* singularia pediculis biuncialibus & longioribus appensa, ad *Scammonii* folia forma accedentia, in mucronem autem desinentia, nervis novem, decem vel pluribus majoribus ex pediculi insertione, quasi è centro prodeuntibus & inde in marginem ductis, inscriptis, minoribusque tranversis elegantèr cancellatis. Ad genicula, è regione exortus foliorum, nascuntur tubera pugni magnitudine, superficie itidem granulata, quæ terram attingentio, radices paritèr agunt. Plantæ hujus mentio fit, in *Miscellan. German. Decur.* 2. *An.* 5. nomine *Katuwalu*, seu *Arachidnæ Indica* supra

& infra terram glandes proferentis edules gratos & dulces.

SATUREIA *Virginiana, floribus in summitate. Hort. Lugd. Bat.* Pulegium *Virginianum, aliis,* Serpentaria *Virginiana. Raii. Hist.*

Caules profert nova hæc & rara *Satureiæ* species, ex fibroso cespite plures, pedales, ramosos, virides, (nisi ad genicula & summitates, ubi ex viridi rubent) *foliis* angustis, conjugatis, saturatè viridibus, altera parte pallidioribus, *Asparago Zeylanico*, seu *Chamepityi Austriacæ Clusii* similibus, seu angustioribus, glabris. In summis ramulis, qui semper in tres dividuntur (veluti *Majorana*, *Dictamno* & aliis contingit) capitula profert squammata, pallidè virentia, ad quorum basin circumstant *foliola* angusta, inter quæ duo majora, qualia in caulibus conspicua sunt. Ex his capitulis eminent *flores* galericulati, galea cordiformi, cum labio trifido, in tres æquales partes diviso, ut flos tetrapetalus videatur, coloris pallidè purpurascentis, labeo interna parte punctis punicantibus asperso. Qui-


p. 248.
SATUREIA
Virginiana.
22.


pta.19
SCABIOSA Africana
Frutescens.
82

Quilibet flos insidet *calyci* oblongo, quinquifido, ex quibus capitula sunt conflata. *Semina* nondum perficit. *Sapor* subacris & aromaticus, cui amaritiess juncta est, ad saporem *Serpentariæ Virginianæ* accedens, sed languidior. *Odor* debilis.

Cæterùm hæc planta non est illa *Serpentaria Virginiana* in officinis hoc nomine prostans, quæ vera ac legitima *Aristolochiæ* species est.

SCABIOSA *Africana fructescens rugosis & crenatis foliis, capite rotundo. Par. Bat. pr.* Scabiosa *fructescens Africana maxima.*


Fruticosum hoc *Scabiosæ* Africanæ genus *radicem* habet amplam in crassiores fibras tanquam brachia diductam, multos annos, si per hyemem in hypocaustis conservatur, perennantem. *Caulem* facit ultra humanam proceritatem, rotundum, lignosum instar fruticis, qui in ramos aliquot absque ullo ordine divaricatur. *Folia* quæ ab radice germinant lata sunt, crassa & rugosa, per margines crenata & subinde laciniata, ad *Primulæ veris* folia formâ accedentia. Quæ caulibus & ramis copiosè adnascuntur, minora sunt minùs obtusa, nullis pediculis apposita, inferioribus similia. E ramulorum extremitatibus sese erigunt pediculi pal-

mares & sesquipalmares, quorum unusquisque *florem* gestat forma flori *Scabiosæ peregrinæ* similem, ast longè majorem, coloris in pallido cærulæi, qui sæpe prolifer est, & alium matre longè minorem ex pediculo unciali patit. *Flores* exteriores (uti omnibus Scabiosis Africanis) ampli sunt & quasi galericulati. Constant vero & fundo fistuloso oblongo, qui in tres lacinias majores expanditur, quarum intermedia maxima est & duæ laterales minores; circa tubuli seu basis finem, adstant & duæ aliæ exiguæ instar auricularum.

Altera etiam datur species humilior, capitulis, rotundis, *floribus* ejusdem magnitudinis, & formæ, pallidè purpurascentis ex cæruleo coloris, ast elegantioris & paulo saturatioris quam in Africana frutescente. *Folia* saturatiùs virent, inferiora duos pollices lata sunt & incisa, è basi angusta in obtusum ambitum tendentia, ad radicem copiosissima; quæ ad nodos caulium angustiora sunt, breviora, profundè incisa quasique pinnata, bina semper è regione. *Caules* plurimos de se spargunt, non verò lignosos, quo, atque floribus saturatiùs purpureis, foliis magis viridibus & profundiùs dentatis, à majori frutescenti differt.

Tota æstate viget & floret & seminibus, ramulis propaginibusque fæliciter multiplicatur.

SCA-



85

SCABIOSA *glabra carnosis foliis virentibus, flore ex cæruleo purpureo. J. B.*

Planta, cujus iconem hic exhibemus, proponitur in Par. Bat. prodromo, nomine *Scabiosæ Africanæ perennis dissectis foliis lucidis glabris.* Cum enim è seminibus Africanis succreverit, nec nobis anteà visa fuerit, credidimus esse plantam novam, nec ab ullo auctore descriptam, ideoque illam depingendam curavimus. Posteà verò, cum & alias, quamvis paucas, plantas Europæas è seminibus ex Africa delatis natas observaverimus, statim orta est suspicio, illas omnes originem suam semini Europæo in Africam cum frumento transmisso debere & *Scabiosam* etiam hanc ab aliquo autore esse traditam, unde lectis & collatis inter se descriptionibus, invenimus descriptionem *Scabiosæ glabræ carnosis foliis virentibus, flor. ex cæruleo purpureo J. B.* huic respondere, nisi quòd hæc altiùs multò assurgat, & copiosiora producat *folia*, quod lætiori hortorum Belgicorum solo tribuendum est. Quo circa synonymum J. B. adjecimus, ut nostrum evitet Lector errorem. Cæterùm in lætiori solo folia lucent, in steriliori minùs, sed parùm hirsuta sunt, hinc *Scabiosa*

Africana perennis dissectis foliis subhirsutis flore purpureo. Par. Bat. prodr. quæ prioris tantum varietas est.

SCABIOSA *stellata folio laciniato minor sive maritima C. B. P.* Scabiosa *minor Hispanica Clusii.*

S*cabiosa* hæc è seminibus ex Lusitania acceptis, Senata, à figura & descriptione *Scabiosæ cum pulcro semine minoris J. B.* plurimùm discrepat, licet *Clariss. Raius*, utramque synonymiam faciat. *Johannes Bauhinus* enim *scabiosæ* suæ *radicem* simplicem & lignosam, paucis & iis exiguis quidem fibris capillatam attribuit, nostra è contrario nec simplicem nec lignosam, sed ex demissa albarum fibrarum coma conflatam annuam obtinet *radicem*. Nec *foliis* magis conveniunt; tenuitèr etenim dissectis, superiorum *Columbariæ Scabiosæ* modo, pilis obsitis depinxit & descripsit suam *J. B.* huic verò *folia* conjugata, pallidè virentia, inferiora non omninò dissecta, sed in margine profundiùs dentata & in mucronem abeuntia, superiora altiùs incisa seu laciniata; ex horum sinubus conjugato ordine exurgunt ramuli, quorum summitates coronantur *flosculis* pallidè cæruleis, monopetalis in quin-

p.222.



SCABIOSA
Stellata folio
Laciniato minor.

p.223

SCABIOSA *Prolifera.*



31

quinque æqualia ſegmenta diviſis, congeneribus ſimilibus, in globoſum caput collectis, cujus baſin cingunt aliquot viridia foliola, quæ dum ſemina perficiuntur deorſum reflectuntur. Sequuntur *ſemina* more *ſcabioſæ ſtellatæ* umbilico membranaceo rigido; tenui, tranſparente, amplo, quaſi acetabulo coronata, in cujus medio umbilicus alius parvus in quinque aut ſex crenas diviſus, crenis in cuſpidis ſtellatim expanſos terminantibus. *Caulis* palmaris nonnunquam pedalis, rotundus, erectus, pilis obſitus. Planta hæc omnino ſimilis eſt *Scabioſæ Hiſpanicæ majori Cluſii*, creſcendi ſcilicet modo, foliis, floribus & ſeminibus; aſt humilior eſt & omnibus partibus minor.

SCABIOSA *ſtellata humilis integrifolia prolifera.* Scabioſa *Indica prolifera.* *Schol. Bot. Par.*

E *radice* pluribus longis fibris capillata, aſſurgunt *caules* palmares, ramoſi, ſubhirſuti, *foliis* integris, conjugatis, pallidulis, parùm aut nihil crenatis veſtiti.

Flores obtinet albos aut ſubſulphureos, magnos, ſummo caule & ramulis, abſque pediculis.

lis adnatos, quorum flosculi exteriores, qui reliquos ambiunt, majores sunt, ut in *Scabiosa Africana frutescente*. E tubo floris sese exerunt stamina brevia, apicibus luteis coronata. Succedunt *semina*, brevia, crassa, circulo membranaceo cincta & in medio stellata, instar seminum *Scabiosæ Hispanicæ Clusii.* Rami conjugato ordine ad summitatem caulis exeunt, ubi insidet flos, & quasi è flore nasci videntur, unde & prolifera dicitur.

SCABIOSA *Carduifolia annua Bætica minor.* Carduus Sphærocephalus *annuus Bæticus minor. Moris.*

C*aulis* cubitalis rarius in ramulos divaricatus, in viridi pallens, glaber, rotundus, solidus; quem vestiunt *folia* dodrantem longa, brevibus pilis aspera, in lacinias profundas divisa, suprà lucida, nigro viridia, subtus argentea. *Flores* profert tubulosos, quinquifidos, purpuroviolaceos, è quorum medio prominet stylus concolor, crassiusculus, in summo bifidus. Capitulum sphæriceum, laxius, è vasculis seminalibus oblongis, multis aristis pungentibus ex herbaceo argenteis, circumvallatis, componitur, quibus singulis unicum continetur *semen* oblongum, quadratum,

utra-

SCABIOSA *Cardui folio annua.* p. 224.





29

utraque extremitate nonnihil villosum, ex quo quotannis renovatur planta. *Radix* subest fibrosa.

SENECIO *Virginianus arborescens Atriplicis folio. Raii Hist. Floribus albis. Par. Bat. pr.*

C*audice* assurgit lignoso tibiæ crassitudine in plurimos patulos ramulos brachiato, cortice tectos cinerttio. *Ramuli* flexiles nonnihil striati, crebris vestiuntur *foliis* inconcinno ordine adnatis, quæ ex brevi pediculo in oblongorotundam figuram sese extendunt; à medio ad summum apicem incisuris majoribus sinuata sunt, coloris subglauci & nonnunquam quasi polline aspersa, crassiuscula, rigida; è petiolo excurrunt tres nervuli, quorum medius major est & in alios laterales dividitur. Ex alis foliorum in summis virgis oriuntur pediculi sustinentes *flores* parvos, coacervatos, nudos, coloris albidi, qui in pappos evolant. *Clariss. Raius* flores luteos huic attribuit, in nostro arbusculo semper albidos observavimus, è Virginia primò in Angliam delata est, unde & nos accepimus. Hyemis injuriam facilè tolerat hybernaculo custodita, & quotannis flores profert.

SENECIO *Africanus altissimus Blattariæ vel Hieracii folio. Schol. Bot. Par.* Senecio *Africanus maximus folio Dipsaci laciniati. Par. Bat. Pr.*

Insigni feracitate & copia è delapso semine pullulans luxuriat in hortis nostris hæc *Senecionis* ex America delati species. *Radice* nititur plurimis fibris capillata, quæ *caulem* protrudit bipedalem & aliquando proceriorem, rotundum leviter striatum, digitum crassum, nonnunquam glabrum, nonnunquam brevissimis pilis hinc inde præditum. *Folia* ima *Blattariæ* vel primis *Dipsaci laciniati* foliis similia sunt; quæ cauli & ramis hærent digitum longa, pollicem lata, *Sonchi laciniati* in modum crenata & lacinitata, in acumen tendentia. Ramorum summitates exornant capitula plurima oblonga viridia in imo crassa seu ventricosa, ut *Sonchi* capitula, quibus & magnitudine ferè accedunt, quæ in villos summo subsulphureos sese expandunt, absque ullis in ambitu petalis. *Semina* sequuntur parva pappescentia. *Sapor* foliorum primò herbaceus est, postea aliquid cuminacei relinquit, similis sapor & magis cuminaceus etiam percipitur in *Senecione Africano folio trinervio.*

SER-



SENECIO Africanus
Blattariæ folio


p. 227.
SERRATULA
Virginiana
foliis rigidis.

p 227.



SERRATULA *Virginiana foliis rigidis.* Serratula *non laciniata Sutherlandi.*

A *Serratula J. B.* sequentibus differt. 1. *Caulibus* assurgit altioribus. 2. *Foliis* latioribus rigidis ad ambitum serratis, vel nullis vel paucissimis laciniis dissectis. 3. *Floribus* ex squamato oblongo capite rubris, quos cingunt *petala* rigida saturato rubore nitentia. 4. *Radice* longa crassa.

SESELI *maritimum Scoticum humile foliis Imperatoriæ Flor. Bat.* Imperatoriæ affinis *umbellifera Scotica. Sibald. Prodr. & Sutherl. Hort. Edinb.* Apium *Scoticum &* Apium *marinum quibusdam Newtoni. Raii Hist.* Ligusticum *humilius Scoticum maritimum, seu* Apium *maritimum dulce Scoticum. Plukenet.*

Plantæ hujus iconem exhibet *Plukenetius Tab.* 96. Sed cum in ea flores desint, perfectiorem hic proponere placuit, nulla addita descriptione; hæc enim in Historia Plantarum *Raii lib.* 9. *pag.* 447. inter *Apii* & *Petroselini* species videre est. Nos ob seminum cum *Seselibus* convenientiam, *Seselios* aut *Siseris* familiæ inserendum duximus. Cæterùm dubitat *Clarissimus Plukenetius*, an sit *Ligusticum* in

Ff 2 Alpi-

Alpibus Liguriæ vulgò *Imperatoria* vocatum *Cæsalp. Libanotis Apii folio semine aspero C. B. P.* & *Rosmarinus foliis Selino similibus serratis, Belli*, cui in epistola prima ad *Clusium Libanotis legitima Theophr.* videtur, & qui vulgo [illegible] & ni fallatur, *siler Creticum* à quibusdam perperàm vocari asserit. Verùm supra dictas plantas invicem esse diversas, & *Seseli Scoticum* ab illis etiam differre in multis, illarum descriptionibus cum *Seseli* nostro diligenter collatis evinci posse opinor. *Cæsalpinus lib.* 7. *cap* 46. inquit, *folia* habere figuram herbæ *Sanctæ Mariæ*, hoc est, *Menthæ corymbiferæ hortensis C. B.* sed magis in acutum desinentia magisque serrata: *Caulem* cubitalem altioremque: *Semina nigra*. *Seseli* verò *Scoticum* (ut nihil de *foliis* dicamus) cubito minor est, nedùm altior; *Semina* sunt citrini fusci coloris, non nigri. A *Libanotide* etiam *Apii folio semine aspero C. B.* seu *Rosmarino foliis selino similibus, Belli*, differre videtur, *radice* alba, cum illa è contrario *radice* cortice nigro tecta firmatur. Neque thus maxime olere observatur hujusce *radix*, quod *Bello* plantam suam legitimam *Libanotidem* esse persuasit.

SE-


p. 225
SESELI Pyrenaicum
Thapsiæ facie
93

SESELI *Pyrænaicum Thapsiæ facie Dni. Fagon. Schol. Bot. Parif.*

Ex *radice* recta, crassa, paucis fibris donata, *caules* profert cubitales & sesquicubitales, striatos, glabros, medulla fungosa farctos, in ramos subinde divisos. *Folia* quæ è radice exeunt longis insident pediculis carinatis, concavis. Sunt autem prima viridia, glabra, sequentibus latiora, & in breviores multò costas divisa, cætera angusta, tenuiùs dissecta, *Thapsiæ carotæ* folio accedentia, in costas septem vel octo divisa, lobulis seu pinnulis ad pediculum, ubi exeunt costæ, more *Carui* quaquaversum donata. Summitates caulium & ramulorum *umbellis* amplis coronantur, quarum bases seu radiorum exortus, uti & radios partiales angunt *foliola* seu filamenta tenuissima. *Flores* parvi ex albo flavescentes, quos excipiunt *semina* bina striata, oblonga, pallida, *Apii* seminibus similia at majora, *Saporis* fervidi, qui linguam & os diu vellicat & adurit. Plantam hanc ex montibus Pyrænæis erutam debemus *Doctissim. Tournefortio.* Eandem etiam (quantum ex semine & primis inde natis foliolis judicare licet) habuimus munere *Clariss. Viri Dni Joh. Bapt. Triumfetti* Professoris Bota-

tanici Dignissimi in Sapientia Romana nomine *Apii montani Carui facte.*

SINAPI *Indicum maximum Lactucæ folio. Schol. Bot. Paris.*

Caules erigit bipedales & altiores, ramosos, glabros, alba medullâ farctos, quibus adhærent *folia* alterna lata, glabra, pinguia, ex luteo virentia, *Lactucæ* nonnihil similia, per margines leviter crenata; inferiora pediculis appensa, superiora angustiora & minus crenata. Versus ramulorum extremitates ad spithami longitudinem prorumpunt *flores* tetrapetali lutei, calycibus quadrifoliis laxis & petiolis semiuncialibus suffulti, quos excipiunt *siliquæ* bicapsulares teretes, crassiusculæ, erectæ, semidigitum longæ; in mucronem cum apice fusco terminantes, quæ *seminibus* protuberantibus nodosæ & quasi articulatæ apparent. Totius plantæ *sapor* acris, *odorque* fragrans rapaceus instar *sinapeos.*

Idem *Foliis angustioribus. Flor. Bat.* Sinapi *Indicum Lactucæ folio minus, seu angusto profundiùs crenato.*

Minus angustius & gracilius est præcedenti. *Flo-*


SINAPI Indicum
Lactucæ folio

p.231.

SIUM

Minimum umbellatum.



Flores pallidiùs flavent, *folia* profundiùs & frequentiùs sunt crenata, & magis glauca; *siliquæ* breviores & angustiores iisdem apiculatæ.

SIUM *minimum umbellatum aquaticum. An Sium aquaticum pumilum ferulaceis foliis. Moris Umbell.?*

Spithamum vix excedit. *Folia* fert *ferulacea* tenuissima & angustissima fere capillacea, pediculis in longum & latum folliculum diductis, qui *caulem* amplectuntur & ramulos ex illorum nodis exeuntes aliquousque involvunt. *Cauliculi* in plures ramos teneros, virides, patulos brachiantur, quorum summo insident umbellæ parvæ. *Flosculi* perexigui propemodùm muscosi quinque petalis angustis acutis compositi & multis longis exiguis staminibus donati, quibus succedit *semen* parvum breve, striatum. *Radix* turbinata in plura capitula extuberat, & cespitis nodosi instar est, tenuium fibrarum comam demittentis. A *Sio minimo Raii in Hist. & Morisoni plantarum umbelliferarum distributione novâ* plurimum differt.

STA-

STAPHYLODENDRON *Africanum folio singulari lucido Par. Bat. prodr.*

S*taphylodendri* ſeu *Piſtachiæ ſylveſtris* ſpecies duæ ab auctoribus traditæ ſunt; *Prima* Germaniæ & Italiæ udis humidiſque gaudet locis, *Altera* Virginiæ eſt incola. *Tertia* nobis hic exhibita in Promontorio Bonæ ſpei fruticat ad altitudinem ſex ſeptemve pedum, *caudice* brachium craſſo, in plures ramos diviſo. Hæc numeroſa veſtiunt *folia*, non pinnata nec terna uti cæteris ſpeciebus, ſed ſingularia, eaque rigidiuſcula, alterno ordine pediculis breviſſimis adhærentia, unciam lata, vix duas longa, ſubrotunda, mucronata; parte prona colore obſcurè viridi ſplendent, ſupina brevi lanugine ruffâ, ad nervos & margines magis conſpicuâ, pubeſcunt, uti & ſurculi tenuiores. *Flores* circa faſtigia erumpunt ad foliorum exortus, pediculo unciali aut breviore ſuffulti, pentapetali, parvi, albidi & ubi contabeſcere incipiunt obſoletè ſpadicei, petalis retroflexis, ex parvo incano calyculo emergentibus. His ſuccedunt veſiculæ pentagonæ, in quibus capſula rotunda claudens quatuor *ſemina* ſtrictè juncta, oblonga, dura, ſulco per longitudinem inſtar Dactyli inſcripta. In hybernaculo ab hy-


STAPHYLODENDRON
Africanum.


STRAMONIA

hyberno frigore subductum lætè viget apud nos & flores quotannis profert.

STRAMONIA *Corassavica humilior Hyoscyami folio.* *Par. Bat. pr.* Datura *Hyoscyami folio vulgò.*

Locis aridis & incultis Indiæ occidentalis frequens est hoc *Stramoniæ* genus, partium omnium conformatione congeneribus suis respondens, humilius tamen & ubi appropriatum solum nactum est, multò ramosius. *Caule* assurgit pollicem crasso, cubitum alto, in multos ramos dirempto, obscurè purpureo colore tincto. *Folia*, Hyoscyami seu potiùs *Solani vesicarii* antiquorum sunt æmula, latiora tamen & in margine sinuata quasique crispata, pallidè virentia, tactu mollia & aversa parte incana. [quæ ex semine in Corassavia nato creverant, omninò erant incana] Ex ramorum sinubus prodeunt *flores* externa facie obsoletè purpurascentes seu incarnati, interna albido colore perfusi, fundo punicante. Medium occupant quinque stamina albicantia candidis farinaceis apicibus ornata, inter quæ eminet stylus in capitulum subviride rotundum protuberans. Basi floris cohæret *calyx* oblongus viridis, pentagonus,

in quinque cuspides desinens, qui flore defluente & grandescente fructu expanditur & sursum fertur, fructusque basi umbilici seu pilei instar insidet. Cæterùm *fructus* rotundus est, & robustis aculeis pungentibus undique armatus, cui subest *calyx* foliaceus retroflexus; in quatuor partes dehiscens, ast in duo tantum loculamenta, quæ *semina* fundunt nigra superficie rugosa. *Sapore*, *odore* & viribus cæteris hujus familiæ speciebus consimilis est.

TITHYMALUS *Curassavicus myrtifolius flore coccineo mellifero.*

Ad *Tithymalorum* familiam referendam esse hanc plantam Americanam testantur, cum *conceptacula seminalia*, è tribus loculis constricta, totidem *granula* includentia, tum *lacteus* & *acris succus*, qui ex singulis plagis inflictis stillat. Profert autem *caules* plures ramosos, olerinæ pennæ crassitie, glabros, nigro virides, succulentos, quibus per interstitia digitalia alternatìm adstant *folia* absque pediculis, myrtiformia, crassa, unciam cum semisse longa, vix unam lata, caulibus concoloria. Ex summitatibus caulium prodeunt *flores* terni, quaterni plures aut


TITHYMALUS
Curassavicus
myrtifolius.

TRACHELIUM
Alpinum Floribus Conglomeratis



aut pauciores coloris coccinei, petiolis brevissimis insidentes, florem papilionaceum nondum expansum, vel quodammodo caput aviculæ rostrum aperientis exprimentes; è basi enim crassiori tanquam capite, in oblongum angustum mucronem quasi rostrum terminantur; inferiora segmenta in longum porrecta invicem connivent, & rostellum aviculæ inferius exprimunt. Ex hujus medio se exerunt stamina multa hirsuta, spadicea, cum stylo longiore coccineo, linguam exertam referente. Pars superior seu segmentum superius, galeam quodammodo referens protendit ad medium usque segmenti inferioris. *Flos* ea parte qua petiolo adhæret, nonnihil virescit, cæteris partibus elegantissimi coccineo colore nitentibus. Succedunt *fructus* parvi, trigoni, tribus *granulis* referti, more congenerum.

TRACHELIUM *Alpinum floribus conglomeratis, foliis Assarinæ rigidis & hirsutis.* Campanula *Alpina sphærocephalos pratensis flore conglomerato, Assarinæ foliis rigidis & hirsutis. Schol. Bot. Par.*

R*adice* firmatur numerosis fibris longis capillata. *Folia* quæ ab illa exeunt digitalibus insi-

dent pediculis hirtis, subrotunda in mucronem desinentia, ad *Violæ* folia quoad formam accedentia, circa margines crenata & veluti crispa, hirsuta, aspera. Superiora subrotunda absque pediculis ad interstitia uncialia & biuncialia, situ alterno, cauli apposita. *Caules* erigit dodrantales & altiores, rotundos, rigidos, hirsutos. In summitate & foliorum alis sedent *flores* plures simul conferti absque pediculis, erecti in cæruleo purpurei, in quinque lacinias acutas, profundas dissecti, stylo intùs oblongo trifido. *Calyci* iridem quinquifido longo acuto insident, & flores *Trachelii flore conglomerato C. B.* referunt. *Vasculum seminale* ad floris fundum situm, in tria loculamenta, more congenerum, dividitur.

TRIBULUS *terrestris major Corassavicus. Par. Bat. prodr.* Tribulus *terrestris Americanus Chamæcisti flore, fructu spinoso maximo. Breyn. prodr. 2.*

Tribuli hujus Americani iconem proposuisse sufficiet, omnibus enim partibus *Tribulum terrestrem J. B.* adeo refert, ut ab hoc sola partium magnitudine discrepat. Annuus quoque est, nam


TRIBULUS
Terrestris Maior
Corassanicus.


VALERIANELLA

nam post florum seminumque defluvium quotannis interit. E confinio superioris *Tithymali* invehitur, siccaneum quippe pariter amat, lôcisque soli expositis lætatur.


VALERIANELLA *Corassavica semine aspero viscoso. Par. Bat. prodr.* Taludama *Hort. Mal. tom. 7.*

Novalibus & saccharetis Corassaviæ spontaneo proventu oritur, atque è seminum satu in hortis nostris fæliciter adolescit. Reptat *radice* alba fibrosa pallida, ex quâ emergunt *cauliculi* multi sesquicubitales, ramosi geniculati, ita viridi ruffescentes nonnihil pilosi teneri, primùm erecti, postmodùm ubi increverunt, in terram reclinati. His hærent *folia* molicella subhirsuta, subtus nervosa, pallida, ad ambitum sinuosa velutique angulosa, & ad singulos articulos conjugata, quórum alterum suo opposito magnitudine cedit. Inferiora cum *Blito albo* quidpiam similitudinis habentia nituntur pediculis longis, & terminantur in rotundum aut saltem obtusum; superiora inferioribus sensim minora, nullos aut brevissimos habent

petiolos, & in parvum mucronem abeunt. Cacumina ramorum promunt tenues pedicellos ritu congenerum, sustinentes *flosculos* exiguos purpureoincarnatos pentapetaloidæos. Singulis succedunt *semina* nuda, crassa viscosaque hirsutie obsita, oblonga hexagona coloris herbacei, quæ è strictiori basi in obtusum crassiusculum caput turbinantur. Q. An semina bina conjuncta post singulos flores proferat, & an non umbelliferis conjungi debeat?

VALERIANELLA *Zeylanica palustris repens, Hederæ terrestris folio, ad radicem florida.* Coeagen *Hort. Mal. tom.* 10.

E *radice* fibrosa albente multos spargit viticulos, tenues, longos, humi procumbentes, crebris geniculis interceptos; è geniculis exeunt *folia* plerumque bina ex opposito, pediculis triuncialibus & longioribus insidentia, circinatæ ferè rotunditatis, argutè crenata, saporis acris, subdulcis & aromatici. Ibidem pariter erumpunt petioli plures crassiusculi, unciam dimidiam longi sustinentes *flosculos* ternos, parvos, vix conspicuos, ex quinque petalis exiguis purpurascentibus constructos, quorum unicuique subsidet *fructus*



VALERIANELLA
p. 238
Zeylanica Palustris repens Hederæ terrestris folio.
p. 239.
ALTERA
Nymphææ minoris folio.


p 239
VALERIANELLA
nudo umbilicato
Semine
213

fructus depressus bifidus, qui in duo *semina* (more umbelliferarum) facilè dehiscit; ad fructuum basin adstant duo foliola angusta, quasi essent theca bivalvis seu calyx. Caulium genicula terram attingentia, novas demittunt radices.

Eadem *Corassavica Nymphææ minoris folio.*

Hæc à priori distinguitur *foliis* longioribus & paulò crassioribus, *flosculisque* herbaceis; cætera conveniunt.

Utraque species in Par. Bat. prodr. *Assarinæ* nomine proponitur. Floribus, seminibus & crescendi modo, cum *Cotyledone aquatica J. B.* conveniunt, quæ pariter *Valerianella palustris Cotyledonis folio*, denominanda est, ut nos primò monuit *Dnus. Sherard.*

VALERIANELLA *altera nudo umbilicato & levi semine Columnæ.*

Hæc plantà à *Fabio Columna* descripta est, ejus vero cyma seu ramuli pars superior tantum icone expressa, eadem tabula cum *Valerianella semine scabiosæ stellato & hirsuto*, unde nos operæ pretium duximus ejus figuram integram studioso Bota-

Botanophilo exhibere, illumque ad descriptionem *Columnæ* satis exactam relegare.

VERONICÆ SIMILIS *fruticosa Curassavica Teucrii foliis, flore galericulato. Par. Bat. prodr. Violæ surrectæ latiore folio species, ex Cod. Benting. Pluk. Tab.* 234. *An* Verbena *fruticosa Teucrii foliis?*

R*adix* è numerosis constat fibris. *Caules* ramosi angulosi, tenues, *foliis* ut plurimùm ex opposito binis vestiti, brevibus pediculis suffultis, quæ ex lata basi in mucronem tendunt viridia, lucida, per margines crenata, *foliis Chamedryos* seu *Teucrii vulgaris* figura & magnitudine æqualia. *Flores* in summitatibus caulium quasi in spicam rariorem dispositi, pentapetaloidæi, quodammodo galericulati, ampli, pallidè purpurascentes, cum staminibus nigro puniceis. *Capsula* seminalis oblonga est, angulosa, lineisque albescentibus striata, in quinque inermes spinulas desinens. *Semen* nondum vidi. Prodiit ex seminibus Curacao delatis in Horto *Fageliano*. Icon. *Loquiltic Hernandez pag.* 382. huic non adeò dissimilis.

VER-

p. 240.



VERONICÆ
Similis fruticosa
Curassavica.



VERONICA
Americana erecta Frutescens.

VERONICA *Americana erecta frutescens & ramosa folio Verbenæ. Par. Bat. prodr.*

In solo lætiori *caulem* profert cubitalem & altiorem, lignescentem, angulosum, glabrum, *foliis* ad interstitia duarum triumve unciarum binis, nonnunquam ternis, vestitum. *Folia* autem pediculis brevibus appensa, ab angusto principio in latitudinem sesquiuncialem expanduntur & in mucronem acutum fastigiantur, digitum ferè longa (inferiora intellige) nervis inscripta, & per margines rarioribus incisuris, à media scilicet folii parte ad mucronem usque denticulata; altera medietas pediculum versus linea ut plurimùm terminatur æquali. E foliorum alis exeunt ramuli longi, foliis minoribus donati, è quorum sinu prodeunt *flores* bini vel terni petiolis brevibus, tenuissimis, & *calyci* quadrifido insidentes, tetrapetali, ad ungues juncti, parvi, albentes, cum staminibus in medio. Sequuntur vascula seminalia parva, bicapsularia, acuminata, in breve filamentum abeuntia, quæ *semina* claudunt minuta. *Radix* fibrosa est. Ex insula Curacoa delata est.

VERBENA *altissima Americana spica multiplici, Urticæ foliis angustis, floribus cæruleis. Par. Bat. prodr.*

E restibili multisque fibris constata *radice* virgas emittit quadrangulas, striatas, geniculatas, sex septemve pedes altas; quorum genicula vestiunt *folia* conjugata, facie & textura foliorum *Urticæ* ast angustiora, quæ palmæ latitudinem, spithami longitudinem interdum excedunt, nunc integra, nunc ad basin una alterave lacinia divisa. Ex horum sinu utrinque prosurgunt ramuli, quorum summitates in multiplices florum spicas, seu jubas floridas, quadrangulas, strictè invicem junctas digitum longas, jucundissimo adspectu terminantur. Cæterùm *flosculi* sunt purpuro-cærulei, pusilli, in imo tubulosi, in summo in quinque segmenta æqualia secti, quos excipiunt *semina* quaterna oblonga, fusca, in quinquifidis calyculis.

VICIA *Lathyroides purpuro cæruleis floribus. Sutherland.*

E *radice* pluribus fibris capillata, perenni, *viticulos* spargit copiosos infirmos, humi stratos, an-


VERBENA
altissima Americana


VICIA
Lathyroides.


VIRGA
Aurea Novæ
Angliæ lato rigido
folio.
108

angulosos, glabros, in solo lætiori dodrantales, crebris geniculis interstinctos. *Folia* quæ primò erumpunt & in caule inferiora, glabra, ex unica tantum pinnarum conjugatione; superiora, ex tribus quatuorve pinnulis ad mediam costam annexis, composita sunt, & in capreolum terminatur. E regione foliorum prodeunt *flores* solitarii, pediculo brevissimo insidentes, parvi, oblongi, dilutè purpurei, quibus succedunt *siliquæ* uncia longiores, erectæ, nigræ, glabræ, septem octo vel decem *semina*, parva, seminum sinapeos magnitudine, angulosa, fusca; è Scotia misit *Dnus Sutherlandius*.

VIRGA AUREA *Novæ Angliæ lato rigido folio. Flor. Bat.* Virga aurea *ex Nova York foliis Symphyti majoris hirsutis. Schol. Bot. Paris.*

Quamplurimæ *Virgæ Aureæ* species, è Virginia & Nova Anglia transportatæ Belgarum hortos hoc tempore mirè exornant, quarum caulium cacumina, ea florum serie ac copia luxuriant, ut harum ramuli corollæ potiùs è plurimis contextæ flosculis quàm genuini flores videantur. Hanc quam impræsentiarum describere animus est, *radice* constat multis fibris albicantibus, & in terra la-

latè se diffundentibus, ex qua prodeunt *folia* plurima, pedalia, palmum lata, in mucronem desinentia, subviridia, tactu aspera, rigida, pluribus nervis inscripta, subinde in margine denticellis incisa, pediculis dodrantalibus insidentia. *Caules* gerit multiplices, firmos, rotundos, striatos, crassos, quos ambiunt *folia* cæteris minora magisque acuminata, basi caulem quasi amplectentia; ex horum alis versus summitates exeunt ramuli frequentes in alios rursus subdivisi, sustinentes *flores* instar herbæ *Doriæ* radiatos, luteos, paniculatos, in pappos evanescentes.

VIRGA AUREA *Canadensis Asterisci folio.*
Virga Aurea *Canadensis Scrophulariæ folio. Acad. Reg. Paris.*

Florum, foliorum, cæterarumque partium structura, adeo accedit ad *Asteriscum autumnalem Cornuti* hæc planta, ut nisi solo florum colore aureo ab illo distaret, *Asteriscus* potius quàm *Virga Aurea* nominata fuisset. Quamquàm inter *Virgas aureas*, *Asteres* & *Asteriscos*, nulla potior intercedat differentia, quam florum color & amplitudo. Assurgit autem ex fibrosa *radice* surculis multis bicubitalibus valdè ramosis, ad quo-

p. 244.



p.245.

VIRGA Aurea
Omnium minima
Floribus maximis.



119

quorum nodos hærent *folia* alternatim disposita *Asterisco* paria, coloris *Scrophulariæ* instar in fusco viridantis. *Flores* ad foliorum sinus fasciculatim ramulos ornant, lutei, discoidei, radiati; quos *semina* sequuntur floccosa. Culturæ hyemisque patientissima est, singulis annis sub veris tempore ex restibili radice repullulans, & tàm seminibus quàm propaginibus sese multiplicans. *Odor* herbaceus est, *sapor* ingratus, amaricans, veluti *Scrophulariæ*.

VIRGA AUREA *omnium minima floribus maximis*. Virga Aurea *omnium minima Hort. Reg. Paris.*

Hujus *folia*, ex longis carinatis pediculis ad radicem in orbem congesta, angustiora & breviora sunt quam in vulgari, glabra, minimè rugosa seu corrugata, ad margines serrata, multisque cancellatis venulis, altera præsertim parte conspicuis, insignita. *Cauliculi* inter folia rectè assurgunt & circa summitates in tres quatuorve ramulos divisi, cæteris speciebus multo breviores sunt & palmæ longitudinem vix attingunt. Unusquisque ramulus *flore* luteo magno, ex calyce oblongo viridi squammato prodeunte, coronatur.

Plantula enim hæc cæteras ſpecies congeneres omnes florum amplitudine ſuperat; adeò ut quod cauliculorum proceritati deceſſiſſe, id florum magnitudini acceſſiſſe videatur. Ad hortorum areolas exornandas, ob ſui humilitatem valdoperè expetitur.

XANTHIUM *Luſitanicum ſpinoſum. Par. Bat. prodr. in Append.*

Hanc plantam *Clar. Dno Turnefortio* debemus, qui primò hoc nomine in Belgium miſit. Oritur vero è *radice* ſimplici pluribus fibris capillata, quæ *caulem* trudit bicubitalem firmum, ramoſum, glabrum, viridem. *Folia* glabra, lucida, inferiora ad ramorum exortus, pediculis biuncialibus donantur, supernè viridia, parte prona glauca ſeu potius incana, nervo per medium excurrente coloris flaveſcentis; ex anguſto principio in amplitudinem duorum digitorum extenduntur, una alterave ex utroque latere lacinia majore ex oppoſito inciſa, ſummitate in longum anguſtum mucronem producta, quæ haſtæ cuſpidem in nonnullis præ ſe ferunt ſeſquidigitum longa. Quæ circa

ca


XANTHIUM
Lusitanicum
Spinosum
p. 1467

ca ramulorum cacumina proveniunt, angustiora sunt & breviora multò, nec adeò crebris laciniis inæqualia, sed maximam partem tantum cuspidata. Ad horum exortus parte terram versus spinis acutissimis armatur *caulis*, ex albo flavescentibus, trifurcatis seu ternis ex eodem centro ortis, subinde brevi petiolo suffultis, tergeminis plerumque ad eundem exortum. Ad foliorum sedes circa summa, ut & in ipsis ramulorum cimis oriuntur parvi muscosi globuli, in flavo viridantibus villis quasi flosculis obducti, qui augescentes in oblonga capitula *Xanthii minoris* æmula abeunt; hæc verò rigida & pungentia non sunt, sed spinulis seu villis hamatis tenuioribus & mollioribus obducta. Unaquæque *lappa* in duos loculos totidem grana continentes distinguitur more congenerum.

F I N I S.


CATALOGUS
PLANTARUM
Nondum æri Insculptarum:

QUAS

Sequentibus Tomis componendis depingendas curaverat

CLARISSIMUS

HERMANNUS.



ABUTILON Indicum foliis rugosis.
ALTHÆA Indica purpurea magno flore.
ALTHÆA Africana procumbens humilis rigido folio, flore luteo vix conspicuo.
ATHÆA Africana fructescens bullata seu vesicaria flore albo.
ALTHÆA vesicaria spinosa Benghalensis, Acetosæ sapore.
ALOE *Pitha* dicta.
ANANAS sylvestris non spinosa.
ANANAS *Kerbita* dicta.
ANEMOSPERMOS Africana foliis & floribus Taraxaci incanis.
ANGELICA ad singulos nodos florida.
ANGELICA Canadensis tenuifolia caulibus purpurascentibus. H. R. P.
ANONIS viscosa lutea non spinosa minor Lusitanica.
ANONIS spicata sive *Alopecuroides* Lusitanica non spinosa. Cat. Aldorf. Hoffm.

APOCYNUM ſcandens Zeylanicum radice Aſclepiadis. *Manughawal.*

APOCYNUM ſcandens Vincæ-pervincæ folio ſubrotundo, fructu villoſo.

APOCYNUM Africanum erectum flore obſoletè purpureo.

APOCYNUM Novæ Angliæ ſubhirſutum, radice tuberoſa, flore aurantio.

ARBUSCULA quædam Americana.

ASTER Novæ Angliæ altiſſimus hirſutior.

ASTER Americanus flore albo, folio Lactucæ purpureæ.

ASTER Americanus albus latifolius, caule ad ſummum brachiato. Plukenet. Tab. 79.

ASTER Tripolii flore anguſtiſſimo folio. Hor. Bat. Fl.

ASTER Canadenſis procerior Bellidis flore minore. Sch. Bot. Pariſ.

ASTER cæruleus ſerotinus Americanus, anguſtiſſimo folio, caulibus puniceis. an *Aſter* tenuifolius Canadenſis ramoſus, flore minore violaceo. Sch Bot. Pariſ.?

ASTER flore Bellidis ſubcæruleo, folio Conyzæ cæruleæ acris.

ASTRAGALUS Alpinus Conophorus flore pallido.

ASTRA-

ASTRAGALUS Glycyrrhizæ Germanicæ Sylvestri similis.

BELLIS Africana umbellata frutescens, odore Camphoræ.

BRYONIA Africana flore luteo fructui insidente.

CAMPHORATA Africana umbellata frutescens.

CHAMÆMELUM Africanum aphyllon erectius & pulchrius.

CHAMÆMELUM Africanum inodorum Psyllii folio.

CANNABIS minor *Bangue* Indorum.

CARDUUS pineus Lobel. Lusitan. Cardoso. Viridar. Lusit. Grisl. Flos albus est.

CAUCALIS pumila maritima CB.

CEDRUS Africana conifera.

CENTAURIUM majus folio nucis juglandis, flore obsoletè incarnato.

CENTAUROIDES Africanum purpureo croceo flore, crasso folio.

CEREUS erectus altissimus Surinamensis.

CEREUS scandens minor trigonus articulatus.

CHAMECISTO affinis Africana foliis dissectis.

CHONDRILLA viſcoſa Luſitanica viminea.

CHRYSTOPHORIANA ſive Aconitum bacciferum racemoſum baccis niveis & rubris. Moriſ. Hiſt.

CHRYSANTHEMUM Americanum perenne, flore maximo.

CHRYSANTHEMI flore, planta Americana fruteſcens, foliis viridibus craſſis.

CHRYSANTHEMI flore, planta Africana baccifera ramis in aculeum abeuntibus.

CHRYSANTHEMUM Africanum Erucæ folio?

CISTOIDES Africanum fruteſcens Ulmi folio, flore luteo.

COLUTEA veſicaria Africana, veſiculis depreſſis, floribus purpureis ſpicatis parvis.

COLUTEA Hyſiquanenſis floribus & ſeminibus rubris.

CONVOLVULUS Scammonii folio ſubrotundo, flore albo umbone nigro Curaſſavicus.

CONVOLVULUS Zeylanicus folio Hepaticæ nobilis.

COR Indum Americanum trilobatum folio craſſo lucido.

CYNOGLOSSUM minus Noveboracenſe, flore albo.

CYNOGLOSSUM Americanum maritimum flore albo.

CYTISUS Africanus hirsutus, floribus atropuniceis.

CYTISUS Africanus siliquis teretibus, floribus spicatis carneis. *Cytisus* Africanus Rivini.

ELICHRYSUM Africanum Abrotani fœminæ flore & foliis.

ELICHRYSUM Africanum odoratum luteum Gnaphalii folio.

ERUCA siliqua quadrangula flore albo.

ERYNGIUM pumilum Mutoni. Lugd.

EUPATORIUM Virginianum folio angusto, floribus albis.

EUPATORIUM Africanum arborescens sempervirens flore Senecionis albo.

FUMARIA Africana, *Vesicaria* scandens.

FICOIDES Africanum folio triangulari brevi crasso glauco.

FICOIDES Africanum crasso triangulari folio incano.

FICOIDES Africanum folio longissimo nonnunquam denticulato, flore luteo.

EI-

FICOIDES Africanum repens flore albo parvo.

FICOIDES Africanum teretifolium spinosum.

FICUS Indica seu *Opuntia* ex insulis Caribbaris.

FICUS Indica Scolopendriæ folio, *Epiphyllitis*.

HORMINUM Africanum frutescens Salvioides.

HYPERICUM petalis crenatis.

HYACINTHO affinis Africana, radice tuberosa.

JACOBÆA Africana Senecionis folio, flore purpureo.

LACTUCA Canadensis altissima, Sonchi folio.

LAMIUM flore purpureo, coma purpurea.

LAMIUM flore purpureo, coma alba.

LASERPITIUM foliis angustis saturatè virentibus. Moris.

LEONUROS Hysiquanensis frutescens Nepetæ folio.

LEUCOIUM Africanum hirsutum, Coronopi folio, flore cæruleo, siliqua plana longissima.

LEUCOIUM latifolium foliis serratis, flore luteo. Fortè ad Hesperides referendum.

LILIUM Javanicum maximum umbellatum, album, foliis erectis & crassioribus.

LINARIA Africana Telephii folio, flore purpureo & luteo.

LINARIA folio Genistæ glauco, flore luteo.

LYCHNIS minima supina, folio viridi angustissimo, flore coloris herbacei. Schol. Bot. Paris.

LYCHNIS viscosa Africana angustifolia, flore amplo albido, interdiù se contrahente, & in viridem obsoletum colorem se transmutante.

MARRUBIUM Africanum rotundifolium flore purpureo.

MALUS Granata Zeylanica spinosa flore luteo.

MANGABIBA.

MASSANILIA major.

MELIANTHOS Hyſiquanenſis minor fœtidus.

MERCURIALIS Africana dicoccos, folio Violæ tricoloris.

MIMOSA maximè ſentiens latifolia ſpinoſa.

MIMOSA ſiliquis latis hirſutis, articulatis.

MOMORDICA Zeylanica major.

NARCISSUS hexagonus Zeylanicus flore odorato albo.

NARDUS Americana procerior foliis cæſiis Plukenet. Tab. 101.

NEPETA radice tuberoſa Luſitanica, ſpicata flore purpuro-cærulæo.

ONOBRYCHIS ſiliqua articulata glabra, flore albo. *Onobrychis* ſiliqua clypeata lævi. B. prodr.

OROBUS Hyſiquanenſis ſiliqua depreſſa alba, flore obſoletè purpureo. *Falcata* Rivini.

OXYS Africana folio & flore parvo, radice Aſphodeli.

PEN-

PENTAPHYLLOIDES Ulmariæ folio.

PEPO Zeylanicus reticulatus & ſulcatus, ſemine nigro.

PHASEOLUS Barbadenſis erectior ſiliqua anguſtiſſima, tinctorius.

PHASEOLUS Africanus minor flore luteo, ſemine nigro.

PHASEOLUS Africanus minor ſempervirens, flore rubello.

POLYPODIUM Cambro-Britannicum.

PORTULACA ſpinoſa lanuginoſa arboreſcens Americana.

PORTULACA Africana procumbens polyanthos flore luteo.

RHUS Africanum trifolium.

RICINUS Cotini folio Americana.

RIZOPHORA caule alato rubente folio ſingulari.

ROSA Moſcheutos Cornuti.

SCABIOSA Eriocephala foliorum ſegmentis anguſtioribus Luſitanica.

SCROPHULARIA Luſitanica magno flore, foliis diſſectis. An Sambuci folio Park?

SCUTELLARIA Americana latifolia.

SENNA ſpuria mimoſæ folio, flore maximo, ſiliqua ſingulari.

SERRATULA Noveboracenſis maxima, fol. longis Serratis.

SIDERITIS Virginiana flore albo anguſtifolia.

SINAPISTRUM Indicum folio glabro, ſiliqua hirſuta.

SOLANUM Africanum incanum arboreſcens pomiferum ſpinoſum, folio integro.

SOLANUM tinctorium Zeylanicum minus. *Baſella Malabarorum.*

SOLANUM Barbadenſe racemoſum minus tinctorium, Circeæ foliis mollibus incanis. Pluk.

SONCHUS maritimus anguſtifoliis. C. B. prodr.

STA-

STACHYS fibrosa radice; folio Betonicæ incano.

TITHYMALUS Africanus minor folio Hyperici.

TITHYMALUS arborescens spinosus Amboinensis. *Ligularia* Rumphii.

TITHYMALUS arborescens spinosus Zeylanicus foliis laurinis. *Elacalli.*

TITHYMALUS Curassavicus foliis Atriplicis variis.

VALERIANELLÆ cognata, folio Cotyledonis. *Colytedon* aquaticus J. B.

VERBENA Scutellariæ foliis dispermos Americana. Pluken. Tab. 70.

VERONICA Virginiana altissima spica multiplici alba.

VERONICA spicata flore purpureo. Moris.

VIBURNUM Americanum odoratum, folio Urticæ, floribus miniatis. H. L. B.

VIRGA aurea floribus albis Americana, folio Bellidis ramosæ Americanæ.

XERANTHEMUM Africanum latifolium lanuginosum. Rectiùs forsan *Gnaphalium* &c.

Sciat Lector Benevolus; Nomina hæc tabulis delineatis memoriæ tantùm gratiâ fuisse adscripta, quæ Auctor celeberrimus pro arbitrio suo mutâsset & emendâsset, nec non descriptarum synonyma adjecisset. Cæterùm illorum Catalogum hac de causa subnectendum duxi, ut hujus operis institutum, & quales fecerit progressus, Botanophilis innotesceret; magna scilicet spe allectus, Celeber-

berrimam Academiam Lugduno-Batavam aliosve Mæcenates, ad tam egregium opus prosequendum & ad finem perducendum sumptus necessarios suppeditaturos.

FINIS.

